WiMBP
Opole

207 st

Alte VI Nr 284/12/65/C

ARGVMENTORVM ET OBIECTIONVM,

De præcipuis articulis doctrinæ Christianæ, cum RESPONSIONIBVS, quæ passim extant in scriptis Reuerendi viri Domini Philippi Melanchthonis,

PARS PRIMA.

Collecta studio & industria CHRISTOPHORI PEZELII, *Sacræ Theologiæ Doctoris: & ante annos septem Dialectica methodo dictata in Academia VVitebergensi: Nunc verò ab eodem retexta, & primùm in lucem edita.*

Quisquis amat Christum, non oderit ille Philippum: Hunc quoq; quisquis amat, librum non oderit istum.

NEAPOLI NEMETVM
Typis Matthæi Harnisch.

Remunerationis gratiâ hos tomos disputationum Dn. Caspari Philosopho et Medicæ D. excellenti, Rectori Gymnasii Gorl. industrio, Medico, amico & fautori suo mittit. grato mens Danielis Stauidii D.J.U.

Sum ex libris Danielis Stauidij Gorlicensis

ILLVSTRISSIMO ET PIISSIMO PRINCIpi & Domino, D. Ioachimo Ernesto, Principi in Anhalt, Comiti Ascaniæ, Domino Seruestæ. & Bernburgi, D. suo Clementiss. Gratiam & pacem à Deo per Dominum nostrum Iesum Christum.

ILLVSTRISSIME *Princeps, Domine clementissime, ante annos nõ multos, florente adhuc celeberrima Schola VVitembergensi, allatæ sunt ad me pagellæ, in quibus consignata fuerunt argumenta ex omnibus D. Philippi scriptis, ordine methodico in vnum quasi corpus redacta. Cumq; intelligerem D. Doctorem Christophorum Pezelium Collectionis argumentorum esse autorem: eundem ad nos venientem hortatus sum grauiter, & pro ea, quæ inter nos recens intercesserat necessitudo, familiariter rogaui, vt hoc, quod immenso studio, singulari etiam prudentia collectum, priuatim sibi amplius vendicare non posset, vtpote in publica Cathedra toti scholæ dictatum, Reipublicæ Ecclesiasticæ & Scholasticæ salutarem operam præstando, in publicum emittere dignaretur.*

Obtinui id cum bona gratia, hoc quoque argumento vsus, quòd res ostenderet in eiusmodi scriptorum editione, quosdam ignobilis famæ captatores, ipsis autoribus partes & laudem præripere, & sine vllo iudicio & rerum delectu spargere aliorum labores, suppresso autorum nomine, atque ita in aliena messe, falce sua, frumenta demetere. Vsitatum enim admodum nunc est, aliorum suffurari labores, & velle crescere aliorum vigilijs & commentationibus, quæ si singulis, quorum nomina tam studiosè dissimulantur, restituendæ essent, non pauci, veluti cornicula Aesopica, nudi & deplumati conspicerentur, in suis scriptis pauca habituri, quorum sibi possessionem iusto titulo adscriberent.

Huc etiam illud accessit, vt autor mihi permitteret, quædam suo Philippico operi præfari, quod vt mihi dulce admodum fuit, ita amico in re tam honesta morem gerere summa cum voluntate debui.

Quod igitur in eiusmodi proœmijs fieri consueuit, dicam quædam de autore Philippo, déque immensis & felicissimis eius laboribus, tam in Ecclesia, quàm rebus scholasticis, quantum profuerint, & quòd, etiam repugnantibus inferorum portis, perpetuò sint mansuri. Cui illud adijciam, Ad quem vsum Reueren-

Reuerendus vir D. Doctor Pezelius laborem istum colligendi argumenta in se receperit: Quid etiam fructus ad iuuentutem & omnes alios lectores peruenire inde possit.

Eò, proh dolor, dementiæ Mundus peruenit, vt quò quis maioribus beneficijs Ecclesiam, & totum genus humanum affecit, eò minus gratiæ reportet. Imò quod accidisse legimus Nohæ, vt etiam à filio parentis verenda alijs monstrarentur: idem non pauci Chamum imitando nunc faciunt, vt parentum & præceptorum suorum imbecillitatibus illudentes, quæ tegenda essent, reuelent: quæ verò reuelanda essent, tegumento quodam obuoluant.

Quis fuerit D. Philippus, toti terrarum orbi propemodum innotuit. Accersitus est mirabili quodam fato à Friderico Sapiente, Saxoniæ Electore, in scholam VVitebergensem adhuc adolescens. Cùm enim Deus illic sedem Ecclesiæ constituere vellet, & misericordiæ eius visum esset eodem in loco extruere Musarum domicilium, accidit non sine singulari Dei prouidentia, vt eò vocaretur Philippus, adiuuandam rem literariam, & promouendum eum, qui iam tunc paulatim efflorescere incipiebat, religionis nitorem.

Habuerat autem dominus Philippus, nũc

ipso Nohe contemtior, & quem peius mortuo cane fex discipulorum venenata persequitur, inter reliquos Præceptores, optimum, doctißimum & integerrimum virum D. Ioannem Reuchlinum, cognatum suum, à quo sene puer ita institutus fuit, vt fundamenta, quantum quidem tempora ferebant, & ætas illa capere poterat, linguarum & artium rectè perciperet, atque ex Græca quidem lingua vberrimum fructum decerperet. Ex Hebraica verò primas venulas aliquantulum delibaret.

Acerrimo iudicio fuit Elector Fridericus, cúmque scholam illam in ripa Vuandalica Albis iam tum fundasset, nihil aquè habuit in votis, quàm vt viris doctis & ingenioßis ornatiorem eam redderet. Net malè cessit quod agendum suscipiebatur. Cùm enim de Philippi eruditione, dexteritate in iudicando, & monstrandis verarum rerum fontibus, & abijciendis sophismatum præstigijs, ex Reuchlino multa audiuisset, & speraret suæ scholæ magnum ornamentum, opera eius viri adolescentis, accessurum, asciuit Philippum in numerum professorum, & quidem præcipuum esse voluit ad exornandas artes, & illustrandam vnà cum Luthero, Ecclesiæ doctrinam sinceriorem.

Admi-

Admirati sunt plerique in homine adolescente prudentiam senilem, & nouum quoddam, vt tunc putabatur, explicandorum autorum & artium tradendarum genus. Cùm enim pleraque artes non tantùm Logicæ, sed etiam aliæ obscurè proponerentur, & essent magna in rebus tenebræ, & genus orationis, qua explicandæ essent, magis ad obscurãdas, quàm ad declarandas res conformatum videretur, talem sepræbebat in explicandis rebus difficilioribus Philippus, vt alij ætate grandiore, & qui consenuerant in scholasticis gyris, in istum adolescentem ora conuerterent, & sibi non tam laudem præreptam conquererentur, quàm ad egregium nomen consequendum, etiam in extrema senecta, compendiosam rationem ostendi gratularentur.

Erant in Philippo ornamenta conuenientia homini ingenuo præcipua: inter quæ luxit veluti preciosa gemma virtus illa, quæ Modestia nominatur, nulli se præferens, sed omnibus suam debitam laudem tribuens. Qua sibi eiusmodi comparabat alibi, aliquantò verò plus apud collegas, gloriæ, vt ab omnibus expetitus, neminem haberet ipsius consuetudinem non ambientem, ex qua dulcissimos fructus decerpere singuli solebant.

Veniens primò in scholam, felicissimè cœpit tradere autores Græcos & Latinos, quos quidem sic enarrauit, vt quod superioribus ætatibus, & quidem tunc quoque rarum erat, argumentis & scholijs illustratos ita proponeret auditoribus, vt viderentur sibi pro caligine habere lucem, & pro obscurioribus materijs res omnes expositionibus lucidissimis ornatas excipere.

Diuulgato rumore in totam Germaniam & vicina regna, subitò fit frequens concursus, & ita augetur schola, vt ex parua scaturigine & riuulo in immensum flumen & mare quoddam doctrinæ exundaret. Sunt enim senes quidam gauisi, se ab isto homine adolescente rectè doceri, quem gratulabãtur sibi in studijs suis datum esse quasi statuam mercurialem.

Extabant tunc multorum libri Grãmatici, Dialectici, Rhetorici, in Physicis & Mathesi. Illis tamen omnibus præferebantur compendia præceptionum à Philippo collecta, eò quòd & breuitate succinctiora, & in delectu ad iuueniles animos imbuendos, reliquorum artificum traditionibus magis censerentur esse idonea. Ad hæc cùm postea vltima accesserit lima, omnes eruditi communibus votis optant, vt in scholis publicis & priuatis

tis præceptiones illæ artium discentibus proponantur & retineantur. Nec morantur illi iudiciorum prauitatem, qua quidam odio insatiabili in Philippum exardescentes existimant, Aristotelica potius ex ipsis fontibus, quàm ex riuulis vel lacunis Philippicis, vt contumeliosè loquuntur, petenda esse.

Vox ista Thrasonum est, qui cùm Philippea se intelligere mentiuntur, quid Aristoteles dixerit & scripserit penitus ignorant. Si quis enim Philippea non intelligit, quæ omnia ex Aristotelicis limpidioribus hausta sunt fontibus, quomodo is Aristotelem ipsum intelligat docentem? Collegit ex profundissimo & immenso Aristotelis, Ciceronis & aliorum mari, fontem, & quædam breuia præcepta, quæ hoc modo sunt exemplis declarata, vt omnes dextrè & sine malignitate iudicãtes, fateantur necesse sit, quidquid vtilium præceptionum alibi extat, illud omne in Compendia illa relatum esse, nec quenquam artificum vsum artium tam perspicuè in exemplis monstrasse. Istam quoque laudem hactenus apud omnes bonos & eruditos habuit, & obtinebit in posterum, quidquid sanè hîc quidam obganniant, & ad contumeliam boni isti viri, humanissimo Parenti & Præceptori nostro optimo faciendam, impuden-

tissimè comminiscantur. Sed progediamur ad alia.

Vt plurimùm Ecclesiæ repurgationem præcedunt artium & linguarum solidior cultura, & exercitationes liberaliores. Cùm igitur in schola illa recens extructa, æternus Deus Ecclesiæ quoque domicilium quoddam erigere vellet, quod opponeret Pontificio regno, cuiúsque opera vteretur ad demolienda fulcra Pontificatus, & veritati suum decus restituendum, diuinitus factum est, vt adiungeretur Philippus Luthero, vt quod neuter solus conficere posset, vtrique coniunctis viribus oneri subeuntes, rem tam grandem agerent atque conficerent: datus est Philippus comes Luthero, & quod verè huc accommodari potest, simul templum exædificarunt, vna manu opus faciētes, altera ad vim hostilem propulsandam parati.

Exorsus est Lutherus disputationem contra Pontificatum, reprehendens audaciam eorum, qui venales indulgentias circumferebant. Et quanquam videri poterat non ita difficile fuisse horrēdos istos abusus refutare, qui ita crassè proponebantur & defendebantur, vt paulò pòst etiam tyronibus eorum refutatio videretur planissima: tamen sub initium maioris laboris erat, & requirebantur ad

ad diluenda portentosa illa mendacia iudicij grauitas, & animus ad resistendum, & compescendas Monachorum fraudes, constans et paulò acrior. Reliquæ disputationes de causa mali & peccati, de iustificatione hominis peccatoris coram Deo, bonis operibus, pœnitentia, vera inuocatione, de Missæ sacrificio, Sacramentis in genere, Baptismo, Cœna Dominica, &c. fuerunt ad euoluendum operosiores, & illæ quidem in Philippum exundarunt. Cùm enim Lutherus saltem ad disputationem Lipsicam, & VVormaciam, ad dicendam de suis scriptis causam vocatus fuisset, omne onus in Philippum reclinabat, qui in omnibus colloquijs, tanquam murus aheneus, vel potius vt propugnaculum ciuitatis Dei, & sepimentum vineæ Domini, oppositus fuit omnibus aduersariorum arietibus & machinamentis, ne pulcherrimam istam vineam Domini deuastarent.

Fuerunt quidem ad confessionem scribendam, & ad conflictus colloquutorum alij quoque vocati & emissi certa dimicantium acie, quorum etiam non contemnenda fuit eruditio, & in dijudicandis dogmatibus dexteritas. At illi omnes conspecto vno Philippo, se eum adeptos arbitrabantur, qui veritatem agnitam explicare, & Giganteæ soboli opponi pos-

ni posset, & pro veritate vsque ad extrema vitæ suspiria depugnaturus esset: potueruntq; reliqui collegæ, per totum disputationis tempus, præsente Philippo, molliter in vtramque, quod dicitur, aurem dormire. Neque enim vllis agitabantur molestijs & inquietudine, dummodò illum sibi haberent adhibitum Collocutorem, Rectorem disputationis, & quasi παράχον, excipientem omnium ictus, & suum locum tam egregiè tutantem.

Norunt multi, etiam in postrema VVormaciensi collocutione, cùm paulò longiùs abesset Philippus, et quidam arbitrarentur, eum prorsus non esse venturum ad colloquium, quendam non infimæ sortis Theologum certiorem factum de Philippi aduentu insperato, quasi exultantem præ gaudio, in hæc erupisse verba: Seiam, Philippo præsente, suauiter & sine metu posse dormire. Constat etiam aduersarios Pontificios, audita fama, quæ de eius aduentu increbuerat, territos fuisse, & subita consternatione obriguisse, vtpote quibus nota fuerunt hominis solertia, studium & dexteritas in discutiendis sophismatum texturis, nec non in ueritate cœlesti firmis argumentorum stabilimentis corroboranda.

Meminimus in conuentibus, ex omnibus regnis, multos homines præstantes ingenijs,

nijs, exercitatos in sacrarum literarum & omnium scriptorum Ecclesiasticorum, totiúsque adeò vetustatis lectione, & habentes opinionem sanctitatis, sapientiæ, eruditionis & omnium uirtutum, quæ quis in viro politico, atque etiam ab Ecclesiæ consortio non alieno requireret, ad D. Philippum accessisse creberrimè, & collationes cum eo instituisse graues & acres, quos tamen ille sic à se domum dimisit, vt plerique victos se esse faterentur, pauci verò victoriam se obtinuisse, nisi sibi ipsis vellent blandiri, gloriarentur. Neminem, nisi quis esset planè contumax, cum contumelia reiecit. Omnibus enim εὐπροσήγορος, præbuit patienter aures, & ad proposita argumenta respondit placidè, sine fundamentis tamen rem aliquam temerè vrgentes, interdùm obturgauit acriùs.

Venerunt aliquando Itali quidam ad eum VVormaciæ, in diuersorium, qui cùm disputarent ad nauseã usq; de transsubstantiatione, & Christũ pane includerẽt, quem ibidem etiã vellẽt adorari, cum excandescentia quadam importunis illis Sophistis respondit, eósq; compescuit, inquiens: Vos quæritis et adorari vultis Deum in pane, quem non creditis esse in cœlo. Salsa quidem videri poterat oratio, sed non inconuenienter in eiusmodi disputatores ineptos contorta.

Cùm igitur D. Philippus exerceretur domi prælectionibus & aſsiduis collationibus, quæ ſub initium fuerunt frequentiores, & in omnibus colloquiis eſſet in prima acie perpetuò aduerſarijs oppoſitus, accidit ei illud, quod dicitur, ferrum ferro acuitur. Creberrima enim velitatione argumentorum, accedente vera nominis diuini inuocatione, & meditatione aſsidua, tandem eò acrimoniæ peruenit, vt quid ſingulis reſponderet, et rurſus opponeret contradicentibus, haberet ſtatim in promtu. Euehebatur igitur ſchola VVitebergenſis ad illam ſublimitatem, vt penè omnes omnium populorum Doctores, ſi quando de rebus grauibus diſceptatio exorta eſſet, ad eam tanquam ad ſupremum gymnaſium & ſacrum quoddam augurium confluerent, ſciſcitaturi de illis, quæ in ſuis Eccleſijs inter Doctores diſputabantur, adeóque illud in conſuetudinem abijt, vt ſi quid inde pronunciatum adferebatur, pars vtraque ſententiæ latæ ſubſcribentes, veritati locum darent. Vſque adeò non, vt ille dicit, inueterata inualuit opinio, ſed veritatem confirmabat euidentia argumentorum, & tractationis vincebat certitudo, vt ſecurè opinarentur, ſe ſententijs illis poſſe ſtare, nec inde ſibi recedendum eſſe.

Iſta

Iſta verò omnia, quæ tam foris, quàm domi agitabãtur, in ſcripta commẽtationum, & alia ſubinde retulit, idque non ſua ſaltem, & domeſticorum cum vtilitate, ſed vt toti Eccleſia, ad finem vſque Mundi, vtilem præſtaret operam. Suntq; ſcripta illa non vnius generis, ſed multiplicia. Quædam enim dici poſſunt Exegetica, qualia ſunt commentaria in libros veteris & noui Teſtamenti. Alia ſunt Methodica & dogmatica, qualia ſunt Auguſtana confeſsio, Apologia, & eiuſdem Confeſsionis repetitio, Loci communes, Examen, &c. quæ vel ſimpliciter, vel per quæſtiones explicantur. Denique aliqua ſunt πολεμικὰ, in quibus ex profeſſo aduerſarijs, Pontificijs, Clero Colonienſi, Oſiandro, Stancaro, Flacio, & alijs veritati cæleſti bellum Giganteo more inferentibus, reſpondet. In omnibus iſtis ſcriptis cuiuſcunque ſint generis, pulcerrima rerum eſt ſeries & methodus, quæ res tractantur feliciſsimè. In Polemicis verò ita familiariter ſuos tractat hoſtes, vt an cum amiciſsimo amico, an verò cum aduerſario agat, ignorare aliquis non rarò poſsit.

Nec verò pro dignitate ſatis hæc D. Philippi ſcripta commendari ſtudioſæ iuuentuti poſſunt. Illud tamen affirmare auſim, neminem ita eſſe rerum communium expertem,

quin fateri cogatur, ea habere genium, & vel propter rerum magnitudinem magni esse facienda. Nec si quem D. Lutheri autoritas non mouebit, is aliquo meo præconio, ad amplexanda eius tam preciosa κειμήλια Ecclesiæ relicta, impelli poterit.

Vellent sanè Agyrtæ quidam & hostes veritatis, ad suam Apostasiam, & facinora pallianda, & vt sibi nomen aliquod in mundo comparent, censores aliorum rigidissimi, videntes in oculo fratris festucam, in suo verò oculo non animaduertentes trabem, penitus collabi & autoritatem Philippeam, & omnia eius scripta ad furcas detrudi. Quod si efficerent, eius ruina exstrui sua, ad sublime culmen se conscendere, & muscerdas suas loco piperis vendi posse autumant. Sed videt hæc Deus arbiter æqui, qui orandus est, vt quemadmodum impediuit molitiones tam cruentas hactenus, sic deinceps quoque non concedat, vt Ecclesia pro uuis salubrioribus habeat labruscas, pro stanno scorias, & pro sapidissimo melle fel acerbissimum.

Ego quoque, quantum in me est, per Dominum nostrum Iesum Christum oro, & obtestor omnes amantes veritatem cœlestem, siue illi versentur in munere docendi, siue discēdi, vt sanctissimi viri, Præceptoris nostri, Patris

Patris loco colendi, scripta & lucubrationes in magno precio habeant, sibique certò hoc persuadeant, verum esse quod à sanctissimo viro D. Luthero, cuius memoria sit in benedictione, dictum est: Theologum abunde posse ex scriptis Philippi informari, vt sit potens ad docendum.

Et sua, *inquit Poëta*, riserunt secula Mæonidem *Simul tamen hoc quoque verum esse scimus*:

Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit,
Tunc suus ex merito quemque tuetur honor.

Satis duriter exagitatus est Philippus in hac vita adhuc superstes. Longè verò crudelius infestantur cineres ipsius post beatissimam eius ex hac vita migrationem. Vix enim quisquam ex maledica illa ingratorum discipulorum caterua adeò stupido est ingenio, adeoq; veræ laudis ac gloriæ expers, quin existimet sibi futurum esse glorioſum, si ex ista procerissima arbore iam in terram prostrata, ramusculum impunè detrahat, & Leonem iacentem & mortuum conculcet, & ei vulnus infligat.

Quoties audiuimus eum conquerentem de hoc maledico & sycophantico seculo? Nihilominus tamē qualemcunque consolatiun-

WBP
Opole

culam percepit, cogitans de pia posteritate. Si enim, inquiebat, erit vlla pia posteritas, illa rectiùs de meis scriptis & laboribus iudicabit, quàm hoc sycophanticum seculum.

Atqui non decet ex rebus parum prosperis iudicare de homine. Et meminisse debent singuli, alia esse piorum, alia improborum iudicia. Improborum iudicia sunt distorta & importuna, statimq; intermoriuntur, virtute oppressorum rursus promicante: qua & manet & perpetuò superstes est. Piorum verò iudicia sunt recta & firma, & vtut iniquitate censorum penitus videantur suppressa, & vix dum ex fumo aliquam scintillam præbeant, tandem tamen emergunt, & vel resistẽtibus Diabolis, vel etiam omnium maleuolorum proteruitate, in lucem prodeunt. Nam veluti planetæ, quò minus proprio suo motu ab occasu ad ortum progrediantur, impediri non possunt: ita quoq; etiamsi id fiat interdũ breuiore, interdũ longiore tẽpore, laus piorũ hominum, & scriptorum decus occultari non potest. Imprimis verò non conticescit apud bonos, etiamsi nubecula contumelioſæ maledicentiæ interdum videatur contecta.

Non fiat igitur iudicium de scriptis Philippeis ex autoris miseriis, & iniquitate censorum, eius Aristarchos se constituentium, sed

sed potius ex rebus ipsis & piorum suffragationibus, sintq; singulis D. Philippi scripta vel hoc nomine grata, quòd plurimorum inuidia sint exposita, de quibus iudicandum esse sciamus τῇ ἐπιστήμῃ καὶ ἀληθείᾳ. Meminerimus etiam verum esse illud, quod dicitur, vulgus natura odisse præstantiores.

Genus illud hominum vecors, quales hæc ætas procreat plurimos, cùm occasiones perueniendi ad aliquam præeminentiam sibi præreptas videat, atque intelligat, se non posse crescere virtutum & eruditionis splendore, conuersum à regia via ad diuerticula calumniarum & mendaciorum in pios coniectorum, in sublime subuehitur: vt si non aliunde, saltem ex incendio templorum, & abiectione vtilium lucubrationum sibi nomen aliquod comparet. Quis verò istas rationes vnquam probet? Quis non potius malit inter Minorum gentium Deos consistere, quàm hac illicita ratione esse Iupiter?

Sint hominibus cordatis in conspectu argumenta, quibus & ipsi confirmentur, vt in magno precio scripta Philippea habeant, & alijs ea possint cõmendare rectiùs. Commendantur scripta Philippea hoc nomine, quia sunt ab eiusmodi Doctore scripta, quem omnes pij fassi sunt, & adhuc fatentur, singu-

læ fuisse Spiritus sancti organum, tot donis illustratum, teste Luthero, quot Deus in nullum alium hominem in hoc terrarum orbe viuentem illa ætate, contulit. Huc accedit euidentia scriptorũ, quæ ita sunt pia, & ad Apostolicæ atque orthodoxæ Ecclesiæ stylum ita attemperata, vt si rectè iudicetur, nihil habeant pleraque, quod ad doctrinæ soliditatem, proprietatem, & lumen, addo etiam certitudinem, requiri posse videatur.

Vt rumpatur inuidia turba illa Apostatica, nihil certè in doctrina ad fundamentum Ecclesiæ pertinente, licet omnia rimetur & examinet, facilè repererit à veritate deflectens, nedum ei repugnans. Vnde motus Lutherus à suis proprijs scriptis sæpe Theologiæ studiosos ad scripta Philippi deduxit, ostendens suum illum, vt loquebatur, Philippum dexterius & euidentius longè, quàm à se id fieri posset, suam sententiam complexum esse & exposuisse.

Referantur ad hæc Lutheri, aliorum quoque testimonia, non tantùm eorum, qui amicitiam pietatis & virtutis causa cum Philippo sanctè inuiolatéque coluerunt, verùm etiam istorum, qui vt nunc hostilibus animis in Philippum feruntur, ita nunc eius mensæ assidentes, & sputum lingentes, in prælectionibus

nibus Locorum communium publicis, apertè profitebantur, nullum exceptis Prophetarum & Apostolorum scriptis hagiographis, hoc libro extare meliorem, & magis salutarem.

Sint discentibus etiam hoc nomine grata Philippi scripta, quia de omnibus doctrinæ partibus sufficienter eos erudiunt, & disputationes contra aduersarios Pontificios, & alios hypocritas & Apostatas continent integras. Nemo enim est, cuius tam felicia extent certamina, & victoriæ contra omnis farinæ errores, quàm sunt charissimi & optimi nostri Præceptoris, de quo non immeritò dixerimus, quòd bonum stadium decurrendo, ei reposita sit corona vitæ. Istarum dimicationum et victoriarum exemplar viuum in scriptis Philippi nobis proponitur, quod tutissimè imitari, & cui inniti securè possumus.

Hæc argumenta vulgaria saltem recensui, quorum plura huc adduci possent, nisi præfatio esset desitura in prolixitatem molestam. Susceptúmque hoc est à me odio nullius, sed tantùm eam ob causam, vt præmuniantur teneræ discentium mentes, occupatæ calumnijs quorundam vociferantium, & hoc nunc summo conatu agentium, vt ex Ecclesia & scholarum finibus Philippi scripta re-

moueantur, idq; ad subruendam veritatem cœlestem, & sternendam viam barbariei, qualis antea quoque fuit sub Papatu.

Venio ad postremam huius proœmij partem, in qua quod restat, quódque in hac præfatione præcipuè mihi agendum video, paucis exponam. Dixi de scriptis Philippi, quorum vtinam multi fideles custodes essent. Nunc igitur de studio, pietate & indefessa diligentia Reuerendi, clarissimi & doctissimi viri D. Christophori Pezelij quædam subijciam. Aggressus est is laborem penè Herculeum, et nulli propemodum alij possibilem. Collegit ex omnibus scriptis Philippi, vel explicatè posita, vel tacitè insperſa argumenta, & digessit ea in certa quædam capita, secundum illum ordinẽ, quem ipsemet autor in scriptis methodicis secutus est. Adiecit etiam solutiones & argumentorum explicationes. Siue enim vitium sit in forma, siue in materia, commonstrat viam dissoluendi falsitatem, & veritatem proferendi in lucem.

Sæpe, vt fit in scriptis prolixioribus, argumenta ita sunt tractationibus inserta, vt non à quouis primo intuitu ex tota orationis serie excerpi possint. Requiritur ad hoc ingenium solers, exercitatio non vulgaris, denique iudicium integrum & sibi constans, nec in

in explicatione rerum vtilium hæsitans.

Gauisus sum itaque multoties cognita D. Pezelij voluntate, qua sibi totam Remp. Christianam obligat, imprimisque de iuuentutis studijs optimè meretur. Sunt enim vtilitates huius laboris manifestæ. Voluit hac industria consulere imbecillioribus. Hac enim argumentorum collectione singulis præmonstrat, quæ argumenta, ad quæ capita sint referenda, & in quas Locorum communium capsulas collocanda. Monstrata enim & reperta alicuius argumenti sede & capite, non admodum difficile est, rebus rectè pensitatis, iudicare, an, quod in argumento proponitur, verum & explicatum, vel sophisticum & confusum sit. Et si quis alicuius doctrinæ mediocrem habet cognitionem, & locum communem ordine complexus est, is argumentum sibi oppositum, si falsum est, reijcere: sin verum, certitudinem eius arripere, & in ea acquiescere potest.

At quid dicam de rudioribus? Etiam in studio Theologico mediocriter versatis illud accidit, vt ad quæ locorum communium capita aliquid referendũ sit, non statim succurrat. Et videmus hoc quoque, quosdam in colligendis Locis communibus non satis esse circumspectos, quod ex recentium quorundam

indigestis farraginibus satis euidenter appa-
rest. Nec censendum est parui esse laboris, &
rem nullius precij, materias singulas in cer-
tas locorum communium classes dispescere &
referre. Quod quàm feliciter hîc præstitum
sit, Lector non stupidus etiam sine vlla mea
præmonitione animaduertet.

Quid verò iucundius erit lectori, quàm
vniuersam doctrinam de singulis articulis,
in vna quasi tabella secum circumferre? Nec
verò vllum argumentum Philippi ætate in
publicis & priuatis Ecclesiarum dissensioni-
bus agitatum uideri potest, quod in hac con-
signatione non inueniatur.

Sunt Philippea scripta amplissimum hor-
reum, in quod omnis generis selectissima fru-
menta, pro ratione messis comportata sunt.
Etsi autẽ suo loco triticum, suo etiam olyra,
hordeum & alia in eiusmodi horreo deposita
sint: tamen non statim, nisi quis diligenter
singula perquisiuerit, omnia frumentorum
genera inueniri possunt, donec facta tritura-
tione in vnum aliquot augustum granari-
um ordine deponantur, & singulis tam fru-
mentorum quàm etiam leguminum generi-
bus, sua quasi sit attributa area, in qua singu-
la seorsim commonstrentur.

Reperit igitur in capacissimo Philippi hor-
reo,

reo, post vberrimam illam messem, & fru-
menta eò conuecta D.D. Pezelius, quocunque
se conuerteret, & in quascunque horrei par-
tes oculos conÿceret, messem copiosam, & fru-
menta integerrima, quæ diligenter collecta,
in vnam thecam granariam studiosè com-
portauit, & adinspectionem accedentibus, o-
stendit integros perpurgatorum frumento-
rum aceruos, ne cum molestia, quod vel in
hac, vel in illa horrei parte locatum fuit, ex-
quirere necesse habeant. Sunt enim singula
cuiuscunque sint generis, ita in ordinem su-
um concinnata, vt quidquid inspicere in sua
area volueris, illud se statim tibi offerat, teq;
sine vllo tædio in hoc, quod scire desideras,
deducat.

Insuauior similitudo esset, & minus grata
calumniatoribus, si dicerem (quod tamen af-
firmare non erubesco) in Philippi scriptis pas
sim sparsas esse multas preciosas gemmas,
quas Pezelius in vnum quasi corpus redegit,
& compagine quadam, in venustam seriem
distinxit, vt singuli gemmas illas ordine cõ-
tueri, & earum virtutibus, Spiritus sancti
operatione, suauiter, & cum quadam volu-
ptate vti possint.

At dixeris fortasse, Responsiones Philippi
tibi non satisfacere, & posse multum in eis re-

quiri. Sit sanè. Ineamus ergo hanc conditionem. Si tibi responsiones istæ, quas iudicamus vocem esse Spiritus sancti, parum videntur ad rem appositæ, fac periculum, an meliores in tuo cerebro reperias. Quòd si conuinceris, conscientia tua iudice, onus illud supra tuas vires esse, sinas saltem nos hoc labore tam diu frui, donec meliora nobis offerantur, & pij iudicent, tua illa vel aliorum recens inuenta Philippeis esse præferenda. Sed accidet tibi fortassis illud quod dicitur, Facilius esse reprehendere quàm imitari.

Quantum huc vsq; reprehensorum vel syntagmata, vel argumentorum rhapsodias nobis licuit inspicere, videntur illi hoc dedita quasi opera agere, vt ne quid, in integrum corpus redactum, ab illis euulgetur, néue tam pulcri fœtus illorum membris conspiciantur perfectis, hoc videlicet consilio, ne ex membrorum malè proportionata συμμετρία totum corpus deformetur.

Sed addamus & alias huius laboris vtilitates. Respexit D. Pezelius noster ad illud quoque, vt singuli in nostris Ecclesiis instruerentur aduersus subdolas Pontificiorum technas, ne illi, qui nunc ad disputationes contra Pontificios accedunt, ignorent, quæ argumẽta antehac, commota, & quomodo refutata sint,

sint, consistant q; moderni disputatores in eiusdem refutationis tenore, nec nunc ad hæc, nec verò ad illa se conuertant refutationum præsidia.

Non semper Diabolus ijsdem vtitur sophisticationum præstigijs ad opprimendam veritatem cœlestem. Sed multas habet rationes, & nunc his, nunc verò illis artibus instructus accedit, sicut rectè dicitur: Tibi mille figuræ, mille nocendi artes, &c. Verùm etsi varijs coloribus sua pingit, & nunc hoc, nunc verò aliud pharmacum, pro suis opinionibus monstrosis constabiliendis excogitat: tamen si quis fontes refutationum rectè degustauit, & vsus est filo Ariadneo, quod ad sententiam natiuam dictorum Propheticorum & Apostolicorum rectè eum deducat: ne illæ, si quid nouarum sophisticationum astutè in medium adferatur, ex ijs, quæ semel ex veris fundamentis didicit, sine negocio impostoras quascunq; discutere poterit.

Monstrauit D. Philippus in materijs Theologicis quibuscunq; solutionum fontes. Hoc vnum saltem deerat, quod non omnia in vno aliquo scripto comprehensa essent. Cùm enim aduersarij nunc has, nunc verò illas argutiarum formulas proferrent, & captiosis vterentur syllogisationibus, hac etiam ratione

eis responsum est, vt pro rerum propositarum subiecto diuersis tẽporibus nunc ad has, nunc verò ad illas argutiolas, refutationes opponerẽtur. Laudandum igitur est studiũ D. Pezelij, quod omnia illa in vnum quasi corpus cõtraxit, & quicquid vel in hoc vel in alio articulo ab aduersarijs in medium prolatum esse constat, compendiosè singulorum oculis & animis considerandum exposuit. Qui igitur scire volet, quid vel ad hæc, vel alia Pontificiorum, & aliorum corruptorum veritatis argumenta respondendum sit, & non sunt perquirenda omnes D. Philippi refutationes, Pontificijs oppositæ. Habent enim hîc omnia in compendium quoddam redacta, quibus & seipsos rectè instituere, & alijs rationem discutiendarum falsitatum monstrare queant.

Nec verò exiguum fructum ex hoc velut corpore doctrinæ, percepturi sunt illi, quibus in publico de summis articulis doctrinæ Christianæ dicendum est. Multum operæ quidam collocant in Locorum Communium coaceruationem, hinc inde colligentes plurima dicta & exempla, vt diuitem thesaurum rerum & verborum habeant in promtu. Est quidem diligentia illa homine ingenuo dignissima, & potest hoc modo oratio veluti floscu lis quibusdam nitescere. Hanc tamẽ argumentorum in certas classes distributionem, ego omnibus Locis communibus præferendam esse iudicauerim. Quæ enim maior copia, quæ orationi vis maior accedere poterit, quàm si quis omnium argumentorum vltrò citróque agitatorum, & explicationibus euolutorum, summam habeat in conspectu? Et quisnam Theologi nomen sibi sumere poterit, nisi fuerit instructus regulis illis Theologicis ex sacra scriptura, Ecclesiasticis scriptoribus, Scholasticis etiam, adhibita lima & interpretatione commoda, depromtis? Quibus addo eas, quas D. Philippus sua quoque industria non sine magna laude adiecit.

Denique hoc quoq; consilij D. Pezelius habuit, vt in hac argumentorum collectione iuuentuti proponerentur exempla exercendarum præceptionum artium, præcipuè Dialectica. Rectissimè D. Philippus sanctæ memoriæ, ab omnib. eruditis pro eo habitus est, qui solus monstrauerit vsum præceptionum in omnibus artibus. Transtulit Dialecticam in officinas Medicorum, in forum & ad subsellia. Præcipuè verò in Cathedras Theologorum & suggestus. Nullum mouebatur argumentum, cuius non monstrasset, si verum erat, veros etiam fontes: sin falsum, falsitatis originem. Poterit pædagogus suum auditori-

um apprimè in re Dialectica instituere, si modo hæc argumenta sibi sumserit discutienda, eaq; ad totam artem, quæ hîc dicuntur, retulerit. Desino plura dicere, ne nimis ambitiosè videar cõtendere de vtilitatibus ex hac industria collectionis percipiendis. Malo enim singulos re ipsa experiri vtilitates ipsas, quàm meis cõmendatiunculis plus æquo esse affixos.

In tenui labore est, at tenuis non gloria.

Debentur gratiæ immortales D. Philippo, sanctæ memoriæ, pro tam vtilibus laboribus in omni artium genere illustrando, & instauranda Euangelij doctrina puriore, sed non sufficiebat, nos scripta illa Theologica tanquam egregium depositum accepisse, verùm etiam hoc requirebatur amplius, vt micæ & panis cœlestis reliquiæ in cophinis adseruarẽtur, & felici successu ad posteros quoque saturandos transmitterentur. Non meretur igitur parum laudis D. D. Pezelius, qui & micas illas collegit, & eas in posterum quoque esurientibus frugaliter distribuendas custodire nititur.

Vtinam verò pij & candidi lectores has micas magnifaciant, neque illas nauseabundi aspernentur, sed reliquias illas de pane cœlesti, Domino nostro Iesu Christo, grata potius mente excipiant & exosculentur, & pro illo

illo sancto Spiritus sancti organo, suauiter nunc in sepulcro quiescente, Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, pia animi affectione celebrent, diuinam eius potentiam altissimis suspirijs inuocando, ne sinat lucem illam accensam rursus extingui, sed vt salutares in Ecclesia Doctores sibi perpetua serie succedant, quorũ corda Deo integrè adhærentia ad finem vsq; mundi, facientia Deo grata, & radijs diuinæ lucis illustrata, sint domicilia Spiritus sancti: Non fiant horrendæ in genere humano, & in religione vastitates, ne terra & regna percutiantur anathemate. Maneat concinna status Ecclesiastici œconomia, & aliquis cœtus Deum rectè agnoscens, & tam in hac quàm ventura vita debitis laudibus eum venerans.

Quod reliquum est, nunc tãdem Illustrissime Princeps, Domine clementissimè, ad tuam inclytam Celsitudinem me conuerto. Cùm enim autor liberum mihi permiserit, vt vel Lectori opus illud, insigne admodum, cõmendem, vel patronos aliquos eligam, sub quorum patrocinio liber in publicum prodeat, hæc mihi via ingrediendæ erat, vt tuæ Illustriss. Cels. potissimùm illum dedicarem. Idq; multis de causis. Scio enim tuam Illustriss. Cels. singulari quodam zelo veritatem cælestem amplecti, & magnifacere scripta Philip-

pea, & ipſum Philippum, etiam in ſepulcro ſuauiter cubãtem, cuius ſanctum caput (proh dolor) multi diris deuouent, diligere. Ominor etiam, fretus tuæ Celſitudinis ſapientia, & in iudicando aquanimitate, & candore, tuam Illuſt. Celſ. non ex piorum aduerſis caſibus, ſed potius ex veris rerum fundamentis de præſentium controuerſiarum magnitudine iudicium facere. Poſtremò volui hac ipſa nominis tui inſcriptione opus facere commendatius, et tuam Illuſt. Celſ. eò quodãmodo, ſua ſponte currentem inſtigare, vt aureas D. Philippi lucubrationes perpetuò in delicijs habeat, & ſuo exemplo diuturnitatem retinendi ſcripta illa in finibus Eccleſiæ iuuet, foueat, tueatur. Obliget etiam vulnera viatoris, & quantum poteſt, res propemodum ad extremam ruinam impulſas, inſtauret, & faciat œconomiam Eccleſiaſticam & ſcholaſticam, æquiſſimo ſuo patrocinio, firmiorem. Benè valeat tua Illuſt. Celſ. per vnicum & ſolum Mediatorem & Dominum noſtrũ Chriſtum Ieſum: Quem oro, vt tuam Illuſt. Celſ. diu conſeruet incolumem, confirmet in veritate, & gubernationem felicem concedat. Noribergæ, Anno Chriſti M. D. LXXVIII.

Veſtræ Illuſt. Celſ. ſubiectiſſ. & addictiſſ.

Mauricius Hellingus Miniſter Eccleſiæ Noribergenſis.

IN RESPONSIONES AD ARGVMENTA SOPHISTICA DE præcipuis Chriſtianæ religionis capitibus, collectas ſtudio & induſtria Doctoris Chriſtophori Pezelij Plauenſis ex aureis ſcriptis D. Philippi Melanchthonis,

Carmen Friderici VVidebrami ſacræ Theologiæ Doctoris: Ad Lectorem.

His pugnabat, ouans his ibat victor in armis.
Ille Sophiſtarum Romana per atria terror,
Monſtrorumq; potẽs domitor quãdoq; Melanchthon
(Plurima quæ templis inſcitia barbara vulgi
Finxerat, inq; ſcholis fanaticus auxerat error.)
Cùm vel Imperij conuentibus ante Dynaſtas.
Staret & ante Deum, Chriſti ſincera profeſſus
Dogmata, vel cathedram conſcenderet ore diſerto:
Aut animos ſcriptis formaret: ad omnia verbo
Reſpondere ſagax, & vera probare paratus:
Quo ne mille quidem de doctis extitit vnus
Voce magis promta, vel mente ſagacior alter,
Ambiguas voces rem ſignificantibus vltro
Definire notis, confuſaq; ritè ſecare
Dogmata per partes, & fraudum ſoluere nodos,
Ac ſtruere inuictis rationibus argumenta.
Addepium & ſimplex puræ ſuper omnia pectus
Relligionis amans, ſtudioſum pacis & æqui,
Quòd ſine auaritia, ſine litibus, & ſine faſtu.
Grata Deo tantùm, totiq; ſalubria vitæ
Quæreret, intentum Chriſti ſolius honori.
Ille effoſſa prius ſtudio precioſa Lutheri,

Indiscreta tamen, scoriisque obducta metalla,
Exploratа foco penitus purgauit, & igne
Cocta, suum docuit speciosa referre nitorem.
Eius simplicitas, & lucidus ordine candor
Dum socijs in honore fuit, quo debuit: vsa
Pace domi, pace vsa foris, pia floruit, & cùm
Oppugnata fuit, tulit vsque Ecclesia palmam,
Inconcussa dolis, inuicta potentibus armis
Pontificum: non hostis eam, non hæresis vlla
Impulit, aut victam suppressit aperta Tyrannis.
At simulac medijs his desit amplius vti,
Et gauisa magis lasciua Sophistica rixis,
In sua Cadmæos armauit viscera fratres:
Desperata diu ferus hostis ad arma reuersus
Nunc bellum instaurat, quin ad sua vulnera risu
Victori insultat. Stat inermis & vndique nuda,
Lethalésque gemens Ecclesia suscipit ictus.
Interea vetus illa nouo Babylonica fuco
Picta redit, repeténsque suam meretricula sedem
Ambitiosa, procax, errorum syrmata tendit,
Ad latus Hæreticis stipata hinc, inde Tyrannis.
Pars quotacunque tamen non planè temporis acti
Immemor, aut veterũ meritorum ingrata magistri,
Ceu subiecta cruci duræq; assueta palestræ,
Quæ sordent alijs ferrugine squallida, iamq;
Obruta pulueribus, verùm cælestibus vsque
Vsibus apta tamen, tam sancta recolligit arma.
Et seruata Dei deponit in armamentum,
Se quibus hostiles in pugna munit ad ictus,
Atque repercutiens ferientem surgit in hostem,
Ad quoscunque leuans caput imperterrita casus.
Aureus hinc fidei, qui munit pectora, thorax

Atque

Atque anima clypeus, quasi lapsa ancilia cœlo,
Eminet, hac galea tuto quasi fornice tecti
Stamus, & excutimus Satanæ procul ignea tela.
Ensis hic ille anceps, hic est cœlestis acuta
Alta procul penetrans acie præcordia mucro.
Macte Deo miles, quisquis sacra castra secutus
Sub cruce sancta meres Christo stipendia Tyro,
Quẽ caro, quẽ Satanas, mundusq; vtriusq; minister
Fraudibus exercet, varioq; Sophismate turbat
Huc ades, & pharetram solertibus instrue telis,
Vasta quibus ferias densa in caligine victor
Corda Sophistarum, perplexáque vincula soluas,
Et sese in varias vertentem Protea formas
Ad Solis radios, conuictum lumine verbi
Constringas veréque sagax vestigia monstres.
Adde Deo grates, quòd nostra ætate PHILIPPVM
Miserit Europæ, qui rectas traderet artes,
Et certa exciperet methodo mysteria cœli.
Cuius ab ingenij diuinis fontibus hausit
Hos quoque discipulus riuos, qui nomine Christum
Et pietate refert, Domini protectus ab vmbra,
Cui melior tantò debetur gratia, quantò
Dignior & labor est, operæque industria maior,
Omnibus ex scriptis, quotquot dedit ante Melãthon
Sparsa per Europæ tot regna, tot aucta per annos,
Res tantillo operi potuisse includere tantas
Tota quibus pietas, & morum regula constat.

Scriptum mense Iunio, Anno
Christi M.D.LXXVIII.

AD REVERENDVM ET CLARISSIMVM VIRVM D. CHRIstophorum Pezelium S. Theologiæ Doctorem, Amicum & fratrem suum chariss.

Elegia scripta à M. Paulo Franzio Plauensi.

VNdique dum turbat vixosa sophistica pacem,
Plena furore, dolis, sanguine, cæde, malis.
Dum sacra relligio grauiter sub mole laborat,
Vendita, quæ varijs flectitur, ære, modis.
Denique dum paßim squalescere mæsta videntur,
Expulsis sanctis, templa scholæq; viris.
Interea in tantis tenebris lux aurea veri
Clarior, & toto maior in orbe micat.
Lux veri, λόγος est, cælestis imago parentis:
Nomen habens hominis, numen habénsque Dei.
Hic vir, hic Immanuel, medius stat in agmine cœtus,
Qui victricis habet sancta tropæa crucis.
Huic animum, huic vires & pugnæ suggerit artes,
Ne doctrina ruat pectore nata Dei.
Néve fides iaceat, neu turba inimica triumphet,
Venalem turpi quæ vehit ore Deum.
Omnibus in regnis, frendentibus hostibus, apta
Organa militiæ sufficit ipse sacra.
Oppressósque viros releuat, maioribus illos
Dotibus in laudes ornet vt ipse suas.
Ipse coronatur, cruce dum sua membra coronat,
Quæ cùm glorificet, laus ea tota sua est.

Huic confide ergo, fratris mihi pectore iuncte,
Christophori nomen qui pietate geris.
Vtq; fidem contra curuos tueare Sophistas,
Quod facis, excelsum nunc quoque pectus habe.
Maior ab ærumnis redit in præcordia virtus,
Maius ab exilijs nomen in ora venit.
Prome, iuuante Deo, Philomelæ ex carmine cantus,
Quos tua collegit splendida musa bonis.
Non metuas rauco clangentes gutture Coruos,
Qui sua præponunt luscinijs orsa modis:
Plenæ quîs furcæ, quîs mille cadauera cordi:
Non animum moueant vlla pericla tuum.
Est pietatis opus, cum Christo sub cruce stare,
Sub cruce pugnanti porrigit ipse manus.
Et causa præstas, causamq; iuuantibus armis,
Vindice nam victrix est bona causa Deo.
Id quia iustitiæ diuinæ norma requirit,
Iudicio tandem quæ meliore venit.
Adde quòd, vt volucres superat Philomela canendo,
Musa Philippæa est sic quoque laude prior.
Teste, Melanthonia est præstantior vna, Luthero,
Syllaba, grata Deo, moribus apta docens:
Quám vacua ingenio spinosa volumina multos
Scriptores turpis fama famésque facit.
Aurea robur habent inuictum scripta Philippi,
Mens eius, Christi mentis alumna fuit.
Non igitur mentem calamo, sed numine tinxit,
Gorgone qua visa Zoile mutus eris.
Igne vel ense fero monumenta Philippica perdas,
Nigrior Illyrica turba prophana pice:
Attamen illorum cineres, atque ossa loquentur
Ipsa viri: nequeunt puluere vera tegi.

Ergo vade liber præsenti numine Christi,
Dum sanctæ causſam relligionis agis.
Hinc capiet lector doctrinæ diuitis vſum
Qui ſapere, aut alios ritè docere cupit.
Inde dolos fictos, & cœca ſophiſmata ſoluat,
Si modò cum vulgo non velit eſſe rudis.
Mente, Deo & Muſis grata, tua ſi bona noris
O nimium felix Teutonis ora fores!

SCRI.

SCRIPTVM PVBLICE PROPOSITVM IN ACADEmia VVitembergenſi 26. Martij, Anno Chriſti 1571.

Studioſis in Academia VVitemb. S.

PRæclarè ab Ariſtotele dictũ eſt, περὶ ἕκαστον δὲ εἰδότος ἔργον ἐστὶν, ἀλλὰ μᾶλλον μὲν αὐτὸν περὶ ὧν οἶδε, τὸν δὲ προσδόμενον ἐμφανίζειν δύνασθαι. *Significat enim in qualibet arte & profeſſione ſapientis eſſe, non ſolùm, vt ipſe non erret in his quæ profitetur: ſed vt in excipiendis etiã rationibus aliorum cautus ſit, & quæ contra veritatis ſcientiam afferuntur, refellere ac refutare ſciat.*

Vtrunque vero quomodo fieri debeat, præceptiones artis Dialecticæ oſtendunt, quia & doctrinã de veris ſententijs confirmandis, & de falſis ſophiſmatũ præſtigijs refutandis tradunt. Cùm autem nuper, Deo iuuante, libros de Dialectica, ſcriptos à Reuerendo viro D. Philippo Melanchthone, Præceptore noſtro, qualicunq; explicatione ad finem produxerimus, in quorum poſtrema parte, erudita ratio ſoluendi vitioſa argumẽta propoſita fuit: viſum eſt clariſſimis viris, gubernatoribus publicorum ſtudiorum in hac Academia, vt

deinceps exercitij loco adolescentibus dictando proponerem argumenta & obiectiones de præcipuis doctrinæ Christianæ articulis, collectas ex scriptis Philippi Melanchthonis, quem scimus in more habuisse, vt in prælectionibus quotidianis sæpe multúmq; sophisticas argumentationes discentibus proponeret, earúmque dextras & concinnas solutiones monstraret, quòd hoc exercitij genus iudicaret plurimùm ad formanda iudicia, & ad vsum præceptionum Dialecticarum prodesse iuuentuti scholasticæ. Idem & in scriptis suis solebat eadem sæpe argumenta crebrò repetere, non eò tantum, quòd dies diem doceret, & cum ætate ex certaminibus assiduis, atque exercitijs quotidianis fidei, inuocationis, & doctrinæ iudicium crescceret, & vt dici solet δευτεραι φροντίδες essent σοφώτεραι, sed vt earundem rerum crebra repetitione, inculcaret animis iuniorum, quibus præcipuè seruire cupiebat, doctrinæ veræ fundamenta, quæ magis conspiciuntur, atque intelliguntur rectius, cùm contraria obiectiones, quæ veritati opponuntur, in conspectu atque ob oculos versantur.

Ex his igitur Reuerendæ memoriæ Præceptoris nostri fidelissimi aureis & perpetuæ memoriæ dignissimis scriptis, cùm in priuatum meum vsum exempla quædam insignium obiectionum atque responsionum Theologicarum iampridem colligere cœperim: iubentibus sic ijs, qui studia publica in hac Academia gubernant, constitui deinceps studiosæ iuuentuti eadem illa de singulis doctrinæ Christianæ capitibus argumenta & solutiones Philippicas publicè proponere, eiúsque exercitij cras, Deo adiutore, hora tertia pomeridiana initium facere.

Nec dubito hunc laborem profuturum esse adolescentibus studiosis, tum vt excitentur ad studium assiduè legendi & euoluendi libros à Domino Philippo scriptos, de quibus verissime dici potest, Ille sciat se multum profecisse in erudita pietate, & pia eruditione, cui scripta Philippi valdè placent: tum vt ipsi adiuti hac veluti manuductione conentur priuata industria, ex scriptis præceptorum & ex quotidianis lectionibus similia argumenta colligere, & in certum ordinem redigere. Huius operæ si quem non pœnitebit, is re ipsa experietur, plurimum inde adiumẽti afferri ad profectum in studijs faciendum. Prodest enim ad exercenda præcepta artium habere in promtu magnam varietatem exemplorum. Prodest in his exemplis videre, quomodo sophismata, quæ interdum plausi-

biliter proponuntur, in formam Dialecticam redigenda sint, vt fucus faciliùs deprehendatur. Et vt ex malis moribus sæpe bonæ leges natæ sunt: sic suppeditant falsæ obiectiones materiam & occasionem cogitandi de rebus optimis & maximè necessarijs. Sæpe confirmatur & illustratur veritas in collatione, vt semper contraria contrarijs opposita illustriora fiunt. Multa etiam scripturæ dicta, quæ ad peregrinum sensum detorquentur ab aduersarijs, rectiùs ex solutionibus obiectionum intelliguntur & accipiuntur. Acuuntur & ingenia, & ad disputationes tum scholasticas, tum Ecclesiasticas vtiliter præparantur, consideratis exemplis sophismatum, & responsionum vtilium. Has vtilitates tantas aspernari, cùm magna sit barbaries indigna scholasticis, spero adolescentes studiosos sua sponte assiduitatem in audiendo præstituros esse. Quod qui facient, haud illos expectata seges vanis eludet aristis. B. V. P. P. 26. Martij, 1571.

Christophorus Pezelius, S. Theol. Doctor & Professor.

INDEX OSTENDENS SVMMAS OBIECTIONVM QVAE in hoc libro recitantur,

De certitudine & methodo doctrinæ Christianæ.

1.

AN doctrinæ Ecclesiæ firma sit certitudo, cùm non congruat ad κριτήρια seu normas certitudinis, quæ traduntur in artibus.

2. An, quia assensio est languidior in doctrina Ecclesiæ, quàm in Philosophia, propterea ipsa doctrina Ecclesiæ minus certa sit, quàm quæ in philosophia docentur.

3. An, vt in artibus philosophicis, & in communi vitæ consuetudine prudentia quædam est cohibere assensionem: sic in doctrina Ecclesiæ, & iis quæ mente & cogitatione rationis humanæ comprehendi satis non possunt, dubitare liceat.

4. An, quia Corpus vniuersum doctrinæ cælestis non constat methodo demonstratiua, propterea certi ordinis nullam rationem habeat.

5. An opus sit vel ministerio docendi in Ecclesia, vel interpretationibus sacræ Scripturæ traditis à veteribus aut recentibus scriptoribus: Cùm ipsa scriptura sacra & per sese sit plana & perspicua: & sufficienter contineat ea, quæ ad salutem sunt necessaria.

6. An frustrà proponantur in Ecclesia illa arcana in sacris literis, quæ nec mente intelligi, nec oratione satis explicari possunt.

De patefactione Dei, & discrimine doctrinæ Ecclesiæ & aliarum sectarum.

1. An, quia notitia Dei naturaliter insita est humanis mentibus, frustrà se Deus patefecerit.

2. 3. An Christus notus fuerit Gentibus, cùm sapientia & potentia Dei ne quidem Ethnicis ignota esse

potuerit, cùmque in sacris literis Christus disertè nominetur sapientia & potentia Dei.

4. Vtrum Pauli dicto, 1. Cor. 11. An non docet vos natura? sequatur non esse opus verbo Dei tradito in lege & Euangelio, ad veram Dei agnitionem, & cultus Deo gratos præstandos.

5. An maior sapientia quærenda sit in scriptis Prophetarum & Apostolorum, quàm in philosophorum libris, qui grauissimè docēt de Deo, & virtutū officiis.

6. An doctrina Mahometica vera sit, cùm sit altera pars contradictionis, & tanto successu propagata sit per maximam partem orbis terrarum.

7. An quia Papistæ, & fanatici omnium temporum gloriantur se retinere scripta Prophetica & Apostolica: propterea puritatem veræ doctrinæ retinere putandi sint.

De sacra scriptura & Symbolis.

1. An satis sit profiteri consensum cum scriptis Propheticis & Apostolicis, cùm quidem inter sacros libros numerentur & scripta historica.

2. An rectè tradita sint Symbola in Ecclesia, cùm scriptum sit, nihil addendum esse verbo Dei.

3. An quia Symbola tradita in Ecclesia amplectimur etiam in cæteris traditionibus Ecclesiæ nihil mutandum sit.

4. An decreta Synodorum habenda sint pro norma doctrinæ in Ecclesia: cùm vetus dictum sit: Fruſtra seruare Euangelium, qui non seruet canones Conciliorum.

5. Quomodo scripta Prophetica & Apostolica haberi possint pro norma certitudinis, cùm videantur esse obscura & ambigua.

6. De dicto, loquutus sum vobis in parabolis.

De gradibus Testimoniorum, quibus doctrina Ecclesiæ discernitur ab aliarum sectarum religionibus.

1. An de veritate doctrinæ Christianæ dubitare liceat, sicut de aliarum gentium religionibus, quas singulæ gentes tanta pertinacia defenderunt.

2. An rectè numerentur miracula, & facta inusitata & superantia communem naturę ordinem, inter testimonia de veritate doctrinæ Christianæ, cùm apud Ethnicos quoque multa acciderint inusitata.

3. Vtrum liceat petere miracula à Deo, cùm Ioh. 4. tam duriter Christus reprehendat aulicum petentem sanationem filij sui miraculosam.

4. Vtrum peccarint Iudæi petentes à Christo signa, cùm videantur rem necessariam ad doctrinæ confirmationem petere.

5. Vtrum pugnent hæc dicta inter se, Matth. 12. Non dabitur huic generationi aliud signum, quàm signum Ionæ. Et Ioh. 10. Multa præclara opera demonstraui vobis ex patre meo.

De Deo.

1. An Ethnici & Mahometistæ inuocent verum Deum, cùm glorientur se inuocare conditorem cœli & terræ.

2. An, quia vera est definitio Dei Platonica, non sit opus in Ecclesia aliam descriptionem quærere.

3. An virtutes seu attributa Dei sint accidentia, sicut in angelis & hominibus sapientia, iustitia, bonitas sunt res mutabiles.

4. Vtrum inter se pugnent hæc dicta Scripturæ Iohan. 1. & 6. Deum nemo vidit vnquam. Et Exod. 33. Loquebatur Deus ad Mosem facie ad faciem.

5. Vtrum rectè reprehensi sint Anthropomorhitæ, quòd Deo tribuerent figuram corporis humani, cum Scriptura ipsa toties Deo tribuat oculos, aures, manus, pedes, brachium, & alia membra corporum humanorum.

6. Quomodo Deus iustus sit, cùm gratis remittat peccata.

7. Quomodo seruari potuerit genus humanū post lapsum, cùm iustitia Dei immutabilis sit, vt inobedientes pereant.

8. Vtrum pugnent hæc dicta, Matth. 19. solus Deus est bonus. Et Gen. 1. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona.

9, & 10. An rectè tribuantur Deo affectus, cùm sit essentia spiritualis, nō habens organa affectuum. Item, cum in omnibus affectibus multum sit ἀταξίας.

De tribus personis Diuinitatis.

1. Vtrum contraria sint, quòd Scriptura aliâs vnitatem aliâs trinitatem de Deo prædicat, hoc est, Deum vnum & trinum docet.

2. An, quia persona in lingua Latina significat relationem: satis sit in doctrina de Deo appellationes trium personarum referre ad vnum ὑφιστάμενον, quod à diuersis relationibus seu officijs, aliâs Patris, aliâs Filij, nonnunquā etiā Spiritus sancti nomen accipiat.

3. Vtrum Filius & Spiritus sanctus sint ὁμοούσιοι Patri, cum Christus Patrem alloquens Ioh. 17. dicat eum solum esse verum Deum.

4. Vtrum Filius & Spiritus sanctus rectè compellentur in inuocatione: cùm Christus in formula precationis præscripta Apostolis, inuocationem nostram dirigere iubeat ad Patrem.

5. De dicto, Qui videt me, videt & Patrem meum.

De discrimine trium Personarum.

1. Quomodo discerni personæ diuinitatis possint, cùm de singulis verissimè dicatur, quòd quælibet persona sit essentia diuina, seu verus Deus.

2. An rectè dicatur, Essentiam diuinam generari & gigni, cùm idem non gignat seipsum.

3. An necesse sit retinere discrimen inter Nasci & Procedere, cùm in hac vita intelligi hæc arcana non possint.

4. An rectè dicatur, Filius nascitur à Patre, cùm ab æterno sit natus.

5. Vtrum exire seu procedere sit proprietas personalis Spiritus sancti: cùm idem verbum sæpe vsurpet Scriptura, loquens de Filio Dei.

6. An creatio mundi, restitutio generis humani, collectio Ecclesiæ, resuscitatio mortuorum, iudicium vniuersale, denique cætera opera omnia Dei, quæ fiunt extra diuinitatem: eodem modo singulis personis rectè tribuantur, cùm ab Augustino dictum sit: Opera Dei externa esse communia, seu indiuisa.

De appellationibus Filij.

1, & 2, An λόγος rectè intelligatur de persona subsistente: cùm hæc vox communi consuetudine loquendi significet vocem euanescentē, & in sacris literis etiam intelligenda sint vocabula, secundum communem loquendi consuetudinem,

3. An Pater sit sapiens propria sapientia: cùm Filius dicatur sapientia Patris.

4. An Filio rectè tribuatur ὑπόστασις, cùm sacræ literæ nominent imaginem, & imago non tam substantiam, quàm relationem significet.

5. An operæ precium sit quærere, cur Filius nominetur λόγος respectu æternæ generationis, cùm modus illius generationis sit ineffabilis.

6. & 7. An rectè in Ecclesia retineatur veterum Scriptorum sententia, Quòd Filius nominetur λόγος, quia nascatur cogitatione Patris: cum nusquam in sacris literis expressum sit, Filium nasci cogitatione Patris: & hac sententia confirmari videantur Samosateni & Serueti errores, & semina multarum absurdarum opinionum inde spargantur.

8. An non satius sit omitti quæstionem, cur Filius nominetur λόγος respectu Patris, cùm satis esse videatur, dicere, sic nominari respectu nostri, quia sit persona nobiscum loquens.

9. An non confirmari videatur error Stenckfeldii, extenuantis dignitatem ministerij externi: Si Verbū Dei, seu λόγος τοῦ Θεοῦ propriè intelligatur de Filio, cùm consentaneum sit, per hoc ipsum Verbum potiùs Deum efficacem esse, quàm per lectionem aut sonū sacrarum literarum, foris sonantem in ministerio.

10. An ex appellatione Filij firmiter concludatur, τὸν λόγον esse ὁμοούσιον Patri, cùm etiam Angeli & homines sancti dicantur Filij Dei.

1. Vtrum ex dicto Salomonis Prou. 8. sequatur, Filium esse creaturam, vt Ariani contenderunt.
2. Vtrum Christus rectè dicatur creatura, cùm Ioh. dicat, λόγον factum esse carnem, quæ est creaturæ descriptio.
3. Vtrum creaturæ nomen Filio Dei conueniat, cùm toties nominetur in scriptura Angelus.
4. Vtrum ex ijs Scripturæ dictis, in quibus dicitur Christus factus esse, sequatur quòd sit creatura.
5. An firma sit probatio Deitatis æternæ Filij, quòd Iohannes λόγον nominat Deum, cùm Dei appellatio sæpe tribuatur etiam creaturis.
6. An ex dictis Esa. 9. Vocabitur nomen eius El. & Ierem. 33. Hoc est nomen quod vocabunt eum Iehoua, firmiter concludi possit, Messiam esse natura Deum, cùm nomen El sæpe generaliter significet fortem: & Iehouæ appellatio interdum tribuatur etiam aliis rebus quæ non sunt Deus ipse.
7. Vtrum ex testimonijs Scripturæ, quæ iubent adorari Messiam, rectè probetur æterna eius Deitas, cùm adoratio non solùm Deo, sed etiam regibus exhibeatur more politico.
8. De dicto Rom 1. Christus prædestinatus est esse Filius Dei.
9. An quia honorat Filius Patrem, eúmque colit, propterea sit dissimilis Patri: vt Anomæi contendebant,
10 An ex dicto Christi, Quid me vocas bonum? Nemo est bonus nisi solus Deus, sequatur, Christum non esse natura Deum.
11. De dicto Matth 10. Sedere ad dextram meam & sinistram, non est meum dare.
12. De dicto Marc. 13. Filius hominis non nouit diem & horam extremi iudicij.
13. De dicto Ioh. 14. Pater maior me est.
14. De dicto 1. Cor. 15. Tradet regnum Deo Patri.

Item, tunc & ipse Filius subijcietur ei, qui subiecit ipsi omnia.

15. & 16. De dicto Phil. 2. Exinaniuit seipsum. Item, Propterea exaltauit eum Deus.
17. De dicto Ioh. 17. Glorifica me Pater.
18. De dicto Matth. 27. Deus meus quare me dereliquisti.
19. & 20. Quomodo verè Christus Deus sit, cùm dicatur passus & mortuus. Item defatigatus.
21. De dicto: Qui minimus est in regno cœlorum. Matth. 11. Luc. 7

De vnione duarum naturarum in Christo.

1. An rectè dici possit, Deus est homo, & homo est Deus, cùm impossibile sit, Disparatũ dici de disparato.
2. De dicto Ioh. 1. Verbum caro factum est.
3. An in Christo duæ sint personæ, cum λόγος ab æterno fuerit persona, & singuli homines sint singulæ personæ.
4. An Deus eodem modo sit in Christo & cæteris sanctis, cùm scriptura dicat, Deum non modò in Christo, sed etiam in sanctis esse.
5. An frustra adhibeantur similitudines sumtæ à copulatione animæ & corporis in homine, aut alijs rebus naturalibus, ad declarandam Vnionem personalem duarum naturarum in Christo, cùm vnio sit ἄρρητος, & nulla similitudo prorsus congruat ad illam mirandam vnionem.
6. An sequatur naturam humanam Christi omnipræsentem esse cum diuinitate, quia ei personaliter vnita est, cum propter vnionem inseparabilem & personalem animæ & corporis rectè dici possit: Vbicunque sit anima, ibi etiam esse corpus, & vicissim.
7. An in passione facta sit separatio naturæ diuinæ & humanæ in Christo, cùm Christus in cruce queratur se à Deo deseri.
8. An alius modus præsentiæ Dei sit in Christo & sanctis, cùm non solum Christo, sed etiam Baptista patiente rectè dicatur Deus ipse pati,

1. An Spiritus sanctus dici possit Pater Christi secundum humanam naturam, cum scriptum sit: Quod in ea natum est, est ex Spiritu sancto, & articulus Symboli profiteatur: Christum ex Spiritu sancto conceptum esse.

2. An, quia caro propriè partem tantùm hominis, videlicet corpus significat, Dimeritarum imaginatio sequatur, qui negabāt à Filio Dei animam rationalem hominis assumtam esse.

3. De dicto Rom. 8. Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati.

4. An omnis peccati expers fuerit Christus secundum humanitatem, cum Paulus affirmet, Eum factum esse peccatum.

5. Vtrum in Christo fuerint affectus vitiosi, cum nulli affectus in hominibus sint absque vitio.

6. Quomodo in Christo potuerint esse dolores, passio, mors, quæ sunt pœnæ peccati, cùm ipse peccati omnis expers fuerit.

7. An rectè caro Christi post glorificationem nominetur creatura, cùm supra omnes creaturas euecta sit.

8. Vtrum naturæ humanæ Christi non solum dona hyperphysica & paraphysica, sed etiam ipsa Deitatis idiomata, idque in se se & sui ipsius respectu, tribui debeant, cùm de summa eius gloria & maiestate nihil quidquam derogandum sit.

9. De dicto Coloss. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

10. De dicto Ioha. 3. Non ad mensuram ei dat Deus Spiritum. Item, Omnia dedit in manum eius.

11. De dicto Matth. vlt. Mihi data est omnis potestas in cœlo & terra.

12. De ascensione Christi ad cœlos.

13. An, quia ad dextram Dei Christus collocatus est secundum humanitatem, propterea vbique sit ipsius natura humana, perinde vt ipsa dextra Dei.

14. An caro Christi secundum se se sit adorabilis, cùm constet Christum inuocandum esse vt Mediatorem, & Mediator sit non modo secundum diuinam, sed etiam secundum humanam naturam.

15. An, quia caput Ecclesiæ est Christus etiam secundum humanam naturam, propterea etiam ipsa humanitas Christi sit in se se seu secundum se se facta omnipotens.

De communicatione Idiomatum.

1. An concreti & abstracti appellationes, ad doctrinam de persona & naturis Christi rectè accommodentur, cùm aliter hæ voces vsurpentur in Philosophia.

2. An, quia in sacris literis vocabula, quorum vsus est in doctrina de communicatione Idiomatum, non sunt expressa, propterea humanum commentum doctrina illa existimanda sit.

3. An operæprecium sit pugnare de communicatione Idiomatum, cùm λογομαχίαι, id est, pugnæ seu rixæ verborum vitandæ sint.

4. Quomodo verè dici possit, Deus est crucifixus, aut mortuus. Item, Filius hominis est ante omnia secula, cùm proprietates naturarum non sint confundendæ.

5. An, quia Paulus simpliciter dicit Dominum gloriæ crucifixum esse: Item Christus affirmat, Filium hominis, qui tunc in terris erat, in cœlis esse: negligendæ sint in declarandis huiusmodi propositionibus particulæ distinctiuæ, quæ ostendunt secundum quam naturam hæc aut illa personæ Christi tribuantur.

6. An, quia propositionibus, quæ loquuntur de proprietatibus naturarum, addenda est determinatio, quæ fit per particulas distinctiuas: simili etiam ratione in descriptionibus officij vtendum sit particula distinctiua, qua nomina officiorum restringantur ad alterutram naturam.

7. An, vt officiorum nomina Personæ conueniunt secundum vtramque naturam: sic actiones & passiones, pertinentes ad officium Christi, vtriquæ naturæ pariter tribuendæ sint.

1. An, quia omnes actiones Christi fiunt nunc in assumta natura, propterea vniuersaliter etiam dici possit, Omnes actiones fieri per naturam humanam assumtam. Quod multi glorioso titulo communicationis realis seu Physicæ, tueri nunc conantur.

De Officio Christi.

1. An, quia Diaboli personam Christi agnoscunt, quemadmodum & multi impij & prophani homines, propterea vitæ & salutis æternæ sint participes futuri, cùm scriptum sit: Agnitio serui mei iustificabit multos.

2. Quomodo non pugnent inter se, Gratis nos iustificari, & redemtionem fieri oportuisse per mortē Filij.

3. De dicto Esa. 52. Gratis venundati estis, gratis redimemini. Item, An Diabolo debuerit Filius Dei λύτρον, cùm captiuum tenēti deberi videatur precium redemtionis.

4. Vtrum pugnent hæc inter sese, quòd Christus est Mediator vnicus: & quòd Paulus dicit Mosen fuisse mediatorem populi.

5. An Christus nunc inuocandus sit vt Mediator seu Intercessor pro nobis, cum Intercessio seu deprecatio coniuncta sit cum Passione, quæ nunc præterijt.

6 De dicto Ioh. 16. Non dico, quòd ego rogaturus sim pro vobis.

7. Quomodo, cùm Christus ipse dator sit bonorum, rectè hac forma precandi vtamur, Vt propter eum nobis dentur bona necessaria à Deo.

8. De dicto 1. Tim. 2. Vnus est Mediator Dei & hominum, Homo Iesus Christus.

9. De dicto Augustini, quod à Lombardo citatur, in quo Christus dicitur Mediator secundum humanitatem, non secundum Diuinitatem.

10. An, quia pati & mori tantum humanæ naturę Christi competunt, propterea ipsum nomen Mediatoris & Redemtoris tantum ad humanam naturam restringendum sit.

11 & 12. An, quia nemo est mediator sui ipsius, neque vel apud sese deprecatur pro alio, vel sibiipsi offert sacrificium propitiatorium, propterea Christus negandus sit esse Mediator noster secundum diuinā naturā.

13. An, quia Christus secundum humanitatem, innocens, & iustus, & sine omni labe peccati fuit, propterea secundum solam humanam naturam Mediator esse potuerit.

14. An, quia promissiones de Messia traditæ loquuntur de Christo homine, vt, Semen mulieris, &c. In tuo semine, &c. De fructu ventris tui, &c. Radix Iesse &c. propterea secūdum humanam naturam tantùm Christus Mediator & Redemtor sit.

15. An, quia victoria aduersus regnum peccati & mortis, & saluatio hominis, opus commune est Patris, Filij, & Spiritus sancti, & passio tantùm propria est Christi; rectè dici posse videatur, Christum tantum secundum humanitatem esse Mediatorem nostrum.

16. An Christi regnum rectè dicatur æternum esse, cùm scriptum sit: Tradet regnū Deo & Patri, 1. Cor. 15.

17. An Christi munus præstantius fuerit in terris quàm Prophetarum & Apostolorum, cùm vtrique nominētur Pastores populi Domini:

18. Vtrum necessaria sit Christi agnitio omnibus, cum Christus prohibeat Matth. 16. Ne fama de ipso spargatur quòd sit Messias.

De Passione Christi & Resurrectione.

1. An meritò Iudæi offendantur Passione & morte Christi, cùm Prophetæ toties de gloriosè regnante Messia concionentur.

2. Quomodo, cùm semper beatus fuerit Christus, etiam ante glorificationem, potuerit in eum cadere tanta consternatio, qualis describitur in historia passionis.

3. Quomodo angi tantopere Christus potuerit in Passione, cum certò nosset lætissimum euentum Passionis suæ.

4. Quomodo opus fuerit Christo precatione ad Patrem, cùm ipse fuerit Deus, & potestatem se habere affirmet ponendi, & iterum sumendi animam suam.

5. Quomodo dolere & angi tantopere potuerit Christus in passione, cum multi martyres summa animi trãquillitate acerbissimos cruciatus corporum & mortem sustinuerint.

6. An fuga mortis in Christo vitiosa fuerit, sicut in alijs hominibus peccatum est, cùm mortem fugimus, quam Deus iubet ferre.

7. An Christus dici possit integram & perfectam obedientiam præstitisse Patri in passione, cùm deprecatur Passionem & mortem, inquiens, Transeat à me calix iste.

8. An Iudæi interficientes Christum excusati sint, quia Deus voluerit Christum mori.

9. An peccet Christus, cùm interrogatus à Pontifice de discipulis & de doctrina non directè respondet: cùm quidem non sit fugienda confessio, quoties de doctrina interrogamur.

10. Vtrum expostulatio Christi cum seruulo percutiente ipsum, pugnet cum dicto: Si quis percusserit te in maxillam vnam, porrige ei & alteram.

11. De triduo quo Christus in sepulchro iacuit.

De Spiritu sancto.

1. Vtrum Spiritus sanctus sit ὑφιστάμενον seu persona per se subsistens, cum ipsa Spiritus appellatio videatur significare agitationem seu motum creatum.

2. Quomodo peculiariter tribuatur nomen Spiritus tertiæ personæ Diuinitatis, cum sit appellatio communis toti essentiæ diuinæ.

3. De dicto Ioha. 7. Spiritus sanctus nondum erat, quia Christus nondum erat glorificatus.

4. De dicto Act. 19. Imo nec audiuimus, num sit Spiritus sanctus.

5. An necesse sit retinere discrimen inter generationem Filij æternam, & processionem Spiritus sancti: cum vtrunque sit mysterium ἄῤῥητον.

6. Vtrum rectè dicatur Spiritus sanctus procedere à Patre & Filio: cùm Christus tantùm Patris mentionem faciat, inquiens, Qui procedit à Patre, Ioh. 15.

7. Vtrum

7. Vtrum Paracleti nomen rectè tribuatur Spiritui sancto, cùm 1. Ioh. 2. etiam Filio Dei hoc epitheton tribuatur.

8. Quomodo Spiritui sancto conueniat nomen doctoris Ecclesiæ, cum Filij officium proprium sit docere Ecclesiam.

9. Quomodo sanctificatio particulariter tribuatur Spiritui sancto, cùm sit commune opus totius Trinitatis.

10. An dilectio Dei sit ipse Spiritus sanctus substantialiter: Item: An notitia, quæ est fides, sit ipse Filius Dei. Item, An Persona Filij & Spiritus sancti adsit in cordibus renascentium? An verò in mente & corde etiam dona creata accendantur.

11. An, quia virtutes quæ lucent in hominibus, sunt dona Spiritus sancti: etiam Ethnici rectè dici possint organa & templa Spiritus sancti: cùm in Ethnicis multæ excellentes virtutes fuerint.

DE CERTITVDINE ET METHODO DOCTRINAE, SONANTIS IN Ecclesia Orthodoxa omnium temporum.

ARGVMENTVM I.

¶Quę nec sensu sunt comperta, nec sunt principia, nec sunt demonstratione confirmata in iis non est certitudo firma & immota.

Doctrina quæ in Ecclesia traditur, nec sensu deprehenditur, nec nobiscum nata est, vt principia, nec demõstrationibus eruitur.

Ergo non est firma & immota certitudo doctrinæ Ecclesiæ.

RESPONSIO.

RESPONDEO *ad Maiorem: Discrimen est considerãdum inter artes philosophicas, quæ demõstrationibus extruũtur, & inter doctrinam Ecclesiæ, quæ non ex demonstrationibus sumitur, sed ex dictis, quæ Deus certis et illustribus testimonijs tradidit generi humano, per quæ immensa bonitate se & suam voluntatem patefecit. De Philosophia verum est, causas certitudinis esse experientiam vniuersalem, principia & demonstratio-*

In præfat. locorum Theol. Tom. 1. ope. Phil. fol. 148.

nes: sed in doctrina Ecclesiæ alia est causa certitudinis, videlicet patefactio seu reuelatio diuina certis testimonijs facta, quæ extat in libris Propheticis & Apostolicis. Hanc causam certitudinis cùm omittat Maior propositio non est necesse sequi veram conclusionẽ. Imò vt certa est cuilibet sano hæc sententia: Totum est maius quælibet sua parte, & Bis quatuor sunt octo (est enim naturalis notitia principiorum) ita multò magis certi & immoti nobis esse debeant articuli fidei, comminationes & promissiones diuinæ, propter reuelationem, quæ certis & illustribus testimonijs Dei confirmata est, vt, resuscitatione mortuorum, & multis alijs miraculis.

» IN maiori non est integra enumeratio. Recitat enim
» illas tantùm seu causas seu normas certitudinis,
» quæ in philosophia & vita communi considerantur.
» Stoici nominant κριτήρια. Inter hæc primùm est experientia vniuersalis, cum videlicet de ijs, quæ sensu percipiuntur, sani omnes eodem modo iudicant. Alterum sunt principia, id est, notitiæ nobiscum nascentes. Tertium est intellectus ordinis in syllogismo, rectè coagmentatis membris. Sed nos in Ecclesia præter has causas certitudinis, & hanc tenemus, scilicet, patefactionem diuinam certis testimonijs factam, quæ extat in libris Propheticis & Apostolicis. Huius mentio cùm omittatur in propositione maiori, manifestum est, fallaciam commiti à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.

ARGVMENTVM II.

¶ In philosophia assensio est firmior, quàm in doctrina Ecclesiæ.

Ergo in philosophia maior certitudo est, quàm in doctrina Ecclesiæ.

Respondeo

RESPONSIO.

Respondeo ad antecedens. In doctrina Ecclesiæ languidior est assensio, quia res sunt extra iudicium humanæ mentis positæ. Sed tamen fit assensio in pijs, cùm mouetur mens testimonijs & miraculis, quæ sunt diuinitus addita doctrinæ, & cùm iuuatur à Spiritu sancto ad assentiendum. Philosophica libentiùs amplectimur, quia mens suo iudicio ea videt & intelligit.

In præfat. Locorum Theol. Tom. 1. oper. d. 148.

FAllacia est à non causa vt causa. Fit enim propter caliginem humanarum mentium, & auersionem voluntatis à Deo, vt difficiliùs assentiamur sententijs à Deo patefactis, quæ à iudicio rationis dissentiunt. Ideo multi audacissimè repugnant diuinis oraculis, vt Epicurei & alij. Pars tamen aliqua generis humani assentitur, in qua voce Euangelij Spiritus sanctus hanc lucem accendit, & flectit mentem ad assentiendum & mens obtemperans Spiritui sancto amplectitur vocem Euangelij, & repugnat dubitationi.

ARGVMENTVM III.

¶ Sapientia est laude digna, retinere, atque suspendere assensionem, ne incerta amplectamur pro certis.

Quare vt in philosophia, sic in doctrina Ecclesiæ licet dubitare de certitudine.

In præfat. Locorum Theolog. Tom 1. oper. fol. 148. a.

RESPONSIO.

Respondeo: Etsi philosophia docet, dubitandũ esse de his, quæ non sunt sensu cõperta, nec sunt principia, nec sunt demonstratione confirmata: vt hîc licet dubitare, seu ἐπέχειν, an sola nubis cauitas sit causa, cur Irin sit

» arcus: tamen sententias à Deo traditas sciamus certas
» & immotas esse, propter Deum sic se patefacientẽ, qui
» est verax: neq; dubitationem illam Philosophicam seu
fol.142.b. ἐποχὴν admittamus ad doctrinã Ecclesiæ. Hæret alioqui in mentibus in hac naturæ humanæ corruptione, ingens confusio dubitationum de Deo, quibus repugnandum est, et opponendæ sunt sententiæ à Deo traditæ. Non alenda est hîc, aut laudanda dubitatio, sed sit fides certa assensio, & vt epistola ad Hebræos loquitur, ἔλεγχος, id est, certitudo, seu vt alibi loquitur Paulus, πληροφορία, qua mens conuicta diuinis testimoniis, firmissimè amplectatur vocem diuinam.

Hanc responsionem cõsiderare prodest, vt cogitemus res certas, firmas & immotas in Ecclesia doceri: deinde vt cogitemus, fidem esse firmam assensionem amplectẽtem integram Euangelij doctrinam: non esse, vt in Academia Arcesilæ, ludos ambiguos opinionum & disputationum, sicut multa petulantia ingenia, & multi superbi homines semper iudicarunt, iudicant & iudicabunt, quorum blasphemias punit Deus, & præsentibus & æternis supplicijs.

» IN hoc argumento fallacia est à dicto secundũ quid.
» Regula, quæ recitatur in antecedẽte, valet in disputationibus artiũ, vbi veritas nondum satis exploratè percepta & cognita est: Itẽ in multis consilijs & actionibus humanis, vbi reprehensione digna est stulta credulitas, quæ nihil iudicat, & humanis rebus ac voluntatibus nimium tribuit, & spe successuum incertorum res magnas & non necessarias mouet. Sed non est accommodanda hæc regula ad mandata, cõminationes ac promissiones diuinas, quibus fides nostra certò assentiri debet, propter Deum asseuerantẽ, qui mentiri non potest. Ideo laudatur πληροφορία fidei Abrahæ Rom.

Rom. 4. & 1. Ioh. 5. dicitur: Qui non credit Deo mendacem eum fecit, quia non credidit testimonio, quo testificatus est Deus de Filio suo.

ARGVMENTVM IV.

¶ Nulla doctrina tradi feliciter potest, nisi monstretur ordo partium, & indicentur initia, progressiones & metæ. In præfat. Locorum Theolog. Tom. 1. o-per. 148.

Id verò in libris Scripturæ sacræ fieri non potest, non enim scripti sunt methodo demonstratiua.

Non igitur commodè tradi, aut legi cum fructu possunt.

RESPONSIO.

Respondeo ad minorem. Sicut res quæ traduntur in Philosophia & doctrina Ecclesiæ differunt: sic alia est ratio methodi in artibus Philosophicis, alia in doctrina Ecclesiæ. Artes philosophicæ ex demonstrationibus extruũtur. Ideo progrediuntur vel ab ijs, quæ sensui subiectæ sunt, vel à primis notitiis, quæ vocantur principia. At doctrina Ecclesiæ non ex demonstrationibus sumitur, sed ex dictis, quæ Deus certis & illustribus testimonijs tradidit generi humano. Per quæ immensa bonitate se & suam voluntatem patefecit.

Quanquam autem methodus illa demonstratiua in doctrina Ecclesiæ non habet locum: tamẽ ipsi libri Prophetici & Apostolici optimo ordine scripti sunt, et articulos fidei apertissimo ordine tradunt. Sed series est historica. Nam libri sacri ordiũtur à prima rerum omniũ & Ecclesiæ creatione. Postea in libris Propheticis conti-

In Chron. Tom. 5. oper. 58.

netur omnium temporum series ab initio mundi, vsque ad Cyri monarchiam, per annos 3425.

In hac serie multæ narrantur instaurationes Ecclesiæ, & insperguntur narrationibus doctrina Legis & promissio Euangelij. Deinde Apostoli testes sunt de Christo exhibito, nato, crucifixo, & resuscitato. Hæc sunt historica, & in concionibus Christi continentur articuli fidei, explicatio Legis & Euangelij. Accedunt & Pauli disputationes, qui vt artifex instituit disputationem in epistola ad Romanos, de discrimine Legis & Euãgelij, de peccato, de gratia seu reconciliatione, qua restituimur ad vitam æternam.

IN Minore est fallacia à dicto secundum quid. Libri Scripturæ sacræ non sunt scripti methodo demonstratiua: Sed propterea non carent omni ordine. Congruit demonstratiua methodus ad artes, quæ sagacitate humani ingenij ex latebris erutæ sunt. Vbi aut ordimur à fine artis, & regredimur ad ea, quibus finis ille quæri aut conseruari potest, vt fit in analysi seu resolutiua methodo: aut rursùm à primis principijs ad finem artis progredimur, vt fit in synthesi, seu compositione. Sed hæ viæ in artibus vsitatæ, ad vniuersum corpus doctrinæ cælestis (cui non propter demõstrationes, sed propter Deum asseuerantem & testificantem de sua essentia & voluntate assentiendum est) nõ facilè accommodari possunt. Est enim historica series narrationum & concionum in scriptis Propheticis & Apostolicis. Et hæc series rectissimè ac commodissimè retinetur, quoties integra σωματοποιία doctrinæ Christianæ instituitur.

ARGVMENTVM. V.

¶ Scriptura sacra, & per se est plana & perspicua:

cua: & sufficiens ad cognitionem eorum omnium, quæ in Ecclesia sciri necesse est: Non igitur opus est aut ministerio docendi in Ecclesia, aut interpretationibus Scripturæ sacræ, quales multæ sunt traditæ in commentarijs scriptorum veterum ac recentium.

In præfat. Locorum Theolog. Tom. 1. oper. 148. b.

RESPONSIO.

Vult Deus in Ecclesia vocem docentium sonare, & ipse ministerium docendi publicũ, & studia in templis & in scholis sua ope seruat, & subinde restituit, vt semper sint aliqui custodes librorum Propheticorum & Apostolicorum, qui & testes sint veræ interpretationis, et qui refutent omnes opiniones pugnantes cum doctrina tradita per Prophetas, Christum & Apostolos, ne extinguatur lux Euangelij, ac vt Ephes. 4. dicitur, ne Ecclesia tanquã ventis agitatæ & dissipatæ, amissa veritate implicentur varijs erroribus. Quanquam igitur & per se Scriptura plana atque perspicua est: & omnia ea complectitur, quæ ad cognitionem æternæ salutis sunt necessaria: tamẽ non propterea labor docendi in Ecclesia frustrà suscipitur: nec gignunt vel doctores in publico ministerio, vel interpretes pij, res seu materias nouas (vt Poëta aliud tradiderũt quàm Patres, Sem, aut Iaphet &c. Et hæretici res nouas comminiscuntur, non traditas ab Apostolis) sed acceptas à Deo sententias in Prophetica & Apostolica narratione, bona fide recitant.

Cùm autem rudes non vbique genus sermonis intelligant, nec statim videant rerum ordinem: commonefaciendi sunt voce interpretum, de genere sermonis, & de

2. *rerum ordine. Et quia multæ corruptelæ subinde excogitatæ sunt,*
3. *& excogitabuntur, pij Pastores & Doctores*
4. *sunt testes veræ sententiæ, certa autoritate acceptæ, & refutatores falsarum interpretationum.*

Propter has causas adiungendæ sunt ad libros Propheticos & Apostolicos enarrationes & testimonia purioris Ecclesiæ, & piorum Doctorum explicationes, rectè & dextre scriptæ & desumtæ ex fontibus.

FAllacia in hoc argumento est à non causa vt causa. Verè quidem psalmus dicit: Mandata Domini adeo lucida esse vt oculos illuminent: significans verbum Dei per se non esse obscurum aut ambiguum. Et Paulus rectè inquit, Omnis scriptura diuinitus tradita vtilis est ad doctrinā & obiurgationē, ad correctionem, ad institutionem in iustitia, vt perfectus fiat homo Dei, & ad omne bonum opus paratus. Quo dicto
» Apostolus docet: Scripturā sacram continere omnia,
» quorum cognitio hominibus ad salutem est necessā-
» ria. Sed tamē vt innotescant plurimis illa ipsa, quæ sacris literis cōprehensa sunt, & rudiores moneantur de ordine & natiua sententia scriptorum Propheticorum & Apostolicorum, immensa bonitate Deus instituit ministerium, & vult audiri rectè docentes in Ecclesia. Non igitur valet cōsequentia: In Scriptura perspicuè & sufficienter sunt tradita, quæ ad salutem nostram pertinent. Ergo non est opus aut ministerio docendi. aut voce interpretum. Imò quia in sacris literis doctrina salutis continetur: ideò in ministerio docendi necesse est sacras literas assiduè repeti & inculcari, vt lux veræ agnitionis Dei in multorum hominum pectoribus accendatur. Deinde quia scriptum est: Cùm conuersus fueris, confirma fratres tuos: ij qui maioribus donis Spiritus sancti ornati sunt, erudire & cōfirmare alios debent. Nec alia sunt officia doctorum in Ecclesia, quod quidem ad ipsum munus docendi attinet, quàm

quàm hæc quatuor in interpretatione Scripturæ præstent. 1. Vt Grammaticè interpretentur sermonem diuinum, explicent vocum significationes & phrases linguarum & Scripturæ proprias, atque ita vnam simplicem ac certam vniuscuiusque loci sententiam mōstrent. 2. Vt Dialecticè disponant seriem membrorū. Item ordinem rerum in scriptis diuinis, adhibita methodo singulis materiis conueniente, ostendant. 3. Vt sint testes veræ doctrinæ in singulis articulis Christianæ religionis, iuxta symbola & testimonia veteris & purioris Ecclesiæ. 4. Vt refutēt veræ interpretationis corruptelas, & doceant quomodo aberrarint à natiua sententia fanatici & hæretici omnium temporum.

ARGVMENTVM VI.

¶ Frustra proponuntur illa Ecclesiæ, quæ sunt imperuestigabilia, & quæ explicari satis non possunt.

In articulis fidei multa sunt, quæ in hac vita nec intelligere, nec eloqui possumus: vt quidem de Deo dixit: Θεὸν νοῆσαι μὲ χαλεπόν· φράσαι ἢ ἀδύνατον, τῷ χ̣ νοῆσαι δυνατόν.

In loc. Theolog. de Deo. Tom. 1. ope. 1516.

Ergo illa arcana sapientia frustra proponitur Ecclesiæ.

RESPONSIO.

Etsi omnes Angelicæ et humanæ mentes obstupescūt admiratione multarum arcanarū rerum, quæ in verbo Dei traduntur: tamen sic sentire de Deo & rebus diuinis necesse est, quemadmodum Deus in verbo suo docet. Quia de Deo sentiendum est, sicut se patefecit. Ethnici vagabantur animis, quærentes Deum suis speculationi-

bus. At Ecclesia agnoscit Deum æternum & omnipotentem conditorem talem, sicut se patefecit. Et quanquam omnia arcana non penitus perspicimus: tamen in hac vita Deus inchoari vult agnitionem sui, & inuocationem nostram à falsa discerni, & reuelationem certis testimonijs in verbo suo proposuit. In quo ceu fœtus in aluo materna nutrimentum attrahens ex vmbilico & cotyledonibus, nos quoque sedemus inclusi: & attrahimus inde agnitionem Dei & vitam, vt eum inuocemus, sicut se patefecit.

„ IN Maiore est fallacia à dicto secundum quid, ad dictū simpliciter. Imperuestigabilia non sunt proponenda Ecclesiæ, scilicet, quæ prorsus non sunt patefacta, nec tradita à Deo. Deinde in his etiā, quæ voce diuina sunt tradita, frenanda est curiositas humana, non continens se intra metas circundatas nobis in verbo Dei, & sequendæ sunt regulæ Siracidæ 3. Quæ præcepit tibi Deus, hæc sanctè cogita. Esaiæ 8. Ad Legem & ad testimonium. Ps. 119. Lucerna pedibus meis verbū tuum. 2. Corinth. 10. Captiuum ducimus intellectum in obsequium Christo. Falsa est autem Maior, si transferatur ad ea, quę in verbo Dei sunt reuelata, quæ vult
1. à nobis reuerenter disci, & piè ac sobriè considerari.
2. Quia vult inchoari in hac vita veram Dei agnitionem,
3. & inuocationem nostram discerni ab impijs aliarum
4. sectarum inuocationibus: vult per hæc initia se communicare nobis in hac vita. Præterea vult in nostra infirmitate cōspici sapientiam & potentiam suam, cōtra mundi sapientiam, & potentiā Diaboli. Denique vult nos his elementis præparari ad Academiam æternam, ad quam nemini patet aditus, nisi qui in hac vita conuersus est ad Deum, & in quo initia æternæ sapientiæ & iustitiæ perpetuæ in hac mortali vita accensa sunt.

DE

DE PATEFACTIONE DEI, ET DE DISCRIMINE inter doctrinam Ecclesiæ, & aliarum sectarum.

ARGVMENTVM I.

¶ Quæ naturaliter sunt nota, non indigent patefactione.

Notitia Dei naturaliter insita est omnibus hominibus.

Ergo non fuit opus peculiari patefactione Dei.

RESPONSIO.

VErum est: *Omnes homines fatentur aliquid esse Deum, et intuentur opus, videlicet, Mundi opificium, quod est testimonium de Deo. Sed humanæ mētes in hac corruptione naturæ, in magna & trifti caligine vagantur, quærentes an sit Deus, an sit prouidētia, & quæ sit Dei voluntas. Quanquam enim esse Deum, et præcipere obedientiam iuxta discrimen honestorum & turpium, impressum humanis mentibus, & regulariter puniri atrocia scelera atrocibus pœnis in hac vita, multa & firma testimonia ostendunt: tamen horrenda dubitatione cruciantur animi. Quia vidēt sæpe opprimi pariter bonos & malos ingentibus calamitatibus. Et quanquam vtcunq; mens humana agnoscit, Deum punire sontes: tamē de reconciliatione nihil nouit sine reuelatione di-*

In loc. Theol. de Pro. Tom. 1. op. 149.

» uinæ promißionis. Nihil etiam ſcit ratio humana de eſ-
» ſentia Dei diſtincta tribus perſonis. Quare cùm tanta
ſint tenebræ humanæ mentis: agnoſcamus ingens bene-
ficium eſſe, quòd Deus ſeſe patefecit ipſe, clara voce &
certis teſtimonijs, inde vſq; ab initio poſt conditum ge-
nus humanum, & poſt conditam Eccleſiam ſuam, cui
tradidit ſua voce Legem & promißionem reconcilia-
tionis, & addidit ingentia miracula.

IN Minori eſt fallacia à dicto ſecundum quid. Nouit ratio humana quòd ſit Deus, & qualis ſit, & quòd requirat obedientiã iuxta diſcrimẽ honeſtorũ & turpium, & quòd ſit iudex iuſtorũ & iniuſtorũ. Sed hæc notitia poſt lapſum valde eſt obſcura & languida, pro
» pter caliginem & dubitationes in natura corrupta, &
» propter triſtia ſpectacula diſsimilium euentuũ. Deinde tantùm legalis eſt, ideóque inſufficiens. Quia non nouit, quæ ſit eſſentia Dei, & quæ ſit voluntas eius erga homines peccatores. An, & quomodo eos recipiat. Neceſſarium igitur & ſalutare beneficiũ eſt generi humano patefactio Dei, qua & confirmantur & illuſtrãtur notitiæ naturales de Deo congruentes cum Lege & voce diuina ac teſtimoniis illuſtribus erudiuntur mẽtes de vera agnitione eſſentiæ & volũtatis in Deo, & de perſona, officio, ac beneficijs Filij Mediatoris.

ARGVMENTVM. II.

¶ Lex eſt ſapientia Dei, & eſt nota gentibus.
Chriſtus eſt ſapientia Dei.
Ergo Chriſtus fuit notus gentibus, etiam ante prædicationem Euangelij.

RESPONSIO.

In enarat. *Ex puris particularibus non neceſſe eſt ſequi concluſionem.*

ſionem. Etſi enim Lex eſt ſapientia Dei, tamen non eſt vniuerſa ſapientia Dei. Chriſtus autẽ perſonalis ſapientia eſt, per quam patefit Euangelium, quod eſt alia ſapientia, quám vox Legis. Non igitur ſequitur: Gentes norunt aliquam ſapientiam Dei, vt numeros, vt diſcrimen honeſtorum & turpium. Ergo norunt vniuerſam ſapientiam Dei.

" Symb. " Nice. "de Deo Tom. 1. op. 215.

MAior eſt particularis. Aliqua ſapientia Dei aliquo modo eſt nota gentibus. Sed inde non ſequitur, quòd omnis ſapientia Dei gentibus nota ſit. Deinde ſunt quatuor termini in hoc argumento. Maior loquitur de ſapientia Legis. Minor de ſapientia perſonali, per quam patefit Euangelium. Fuit argumentum Theobaldi Thammeri, cuius extant libri in publicum editi, in quibus transformat Eccleſiæ doctrinam in Ethnicam.

ARGVMENTVM III.

¶ Potentia Dei fuit nota Ethnicis ex operibus creationis. Rom. 1.
Chriſtus eſt potentia Dei, 1. Corinth. 1.
Ergo Chriſtus fuit notus Ethnicis & rationi.

In enarra. Symb. Nicen. de ap. Filij Dei. Tom. 2. op. 214. & 328. Itẽ in propoſ. P. Tom. 4. op. 589. Itẽ in reſp. cõt. Staph. Tom. 4. op. 821.

RESPONSIO.

Nego conſequẽtiam, & ratio eſt, quia ſunt quatuor termini. Ad Romanos dicitur de potẽtia creationis, quã rationi aliquo modo notam eſſe, fatendum eſt: quia ratio habet demõſtrationes, quòd hoc pulcherrimũ mundi opificium non caſu confluxerit ex Democriti atomis. ſed quòd ſit creatrix & conſeruatrix mundi Mens, immenſæ ſapientiæ & potentiæ, verax, caſta, iudex, &c.

Quan-

Quanquã autem aliquam generalem cognitionẽ ratio habet de vna essentia creatrice, et definitionẽ Platonicã probat, Deus est mens æterna causa boni in natura: tamen non nouit distinctionem & ordinem personarum.

Deinde in Minore. Ad Cor. potentia significat potentiam saluationis, in qua notitia cõprehẽditur distinctio Patris & mediatoris, qui est Filius Dei λόγος ad Ecclesiam missus, qui assumsit humanam naturam, vt sit propitiator, & immediate sit efficax in collectione Ecclesiæ iuxta illud: Ego vitam æternam do eis. Item ego sum vitis, vos palmites. Hanc dulcissimã sententiam de potẽtia saluationis sæpe cõsideremus, non modò vt refutentur blasphemiæ Thammeri, qui confusionem facit Ethnicorum & Ecclesiæ, nec discernit Euangelium à notitia naturali: sed etiam vt nos in tanta infirmitate consolemur, ac certò statuamus Filium Dei & propitiatorem esse, & potentem esse, & nos sustentaturum esse, quanquam valde infirmi sumus, iuxta dictum: Virtus mea in infirmitate tua perficitur.

EAdem est solutio huius argumenti cũ priori. Præmissæ sunt particulares, & cõtinent quatuor terminos. Aliqua potẽtia Dei, scilicet, essentialis, seu potentia creationis est nota gentibus, id est, quæ in naturali Legis notitia ostenditur, & in opificio mundi. Minor loquitur de potẽtia personali, id est, per quã Deus est potẽs in saluatione Ecclesiç. Sed Thammerus prorsus hæc confundit. Non discernit potentiam in creatione ostensam à potentia saluationis, qua homini mirabiliter per Filium restituitur vita & salus æterna.

ARGVMENTVM IV.

¶ Paulus 1. Cor. 11. inquiens, An non docet vos natura? significat & in natura hominis notitias esse reliquas, & has sequendas esse.

Non igitur opus est studio verbi diuini, vt Deus agnoscatur, aut vt rectè gubernetur vita hominum.

RESPONSIO.

Valde digna est consideratione & memoria vox Paulina, cùm deducit nos ad naturam, & hanc intueri homines iubet. Sed loquitur Paulus de moribus & de Lege tantùm, non de promissione Euangelij, aut alijs materijs extra conspectum rationis humanæ positis. Vult in moribus considerari legem naturæ. Non vult nos cupiditates seu affectus huius deprauatæ naturæ sequi, sed vult intelligi, quid doceat natura 'id est, legem, seu notitias monstrantes ordinem vult aspici. Ac sæpe in moribus hæc regula proponi potest: In contractibus seruato æquitatem: quia natura docet, hanc æqualitatem & iustitiam esse Deo placentem, & necessariam communi societati: & nisi seruetur æqualitas, exhauriri vnam partem, & interire. Vt autem antea dictum est, Paulum non loqui de promissione Euangelij: ita & in moralibus sciamus nobis metas esse circundatas per expressam Legem Dei, quia ratio in aliquibus negotijs, præsertim in hac naturæ deprauatione, vagatur longiùs, vt Lamech ausus est plures vxores ducere, & deinde Aegyptij duxerunt sorores. Etsi igitur considerandum est, quid doceat natura: tamen Deus ideo Legem quoq; tradidit, vt vagabunda rationi frenos inijceret. Anteferenda est igitur Lex Dei expressa.

In enarrat. prioris epistol. ad Corinth. Tom. 4. op. fol. 253

» PLus est in consequente, quàm fuit in antecedente. Dictum Pauli quod in antecedente recitatur, hanc regulam de moribus tradit, vt ordinem conuenientem naturæ iuxta creationem sequamur. Deinde verò non sequitur: Naturam omnia docere, aut non opus esse verbo Dei tradito in lege & Euãgelio. Sententia dicti Paulini faciliùs intelligetur, si quis cõsiderabit, qua de re ibi Paulus agat. Tractat enim quæstionẽ de velandis mulieribus, cùm in publicã congregationem veniunt. Ac rationes & argumẽta quærit in ipso ordine, in creatione instituto: Vos ipsi, inquit, iudicate, num decorum sit, mulierem nõ velatã Deum orare. An non natura ipsa hoc vos docet, quòd viro quidem comatum esse dedecori sit, contrà mulieri, comatam esse, gloriæ sit? Nam coma pro velamine ei data est. In his verbis Enthymema est oratorium, & à signis in natura & iudicio naturali rectè sumtum. Hæc enim sententia est: Natura mulieri prolixam comam addidit, & significat, magis eam tegendam esse: quia minùs debet venire in conspectum populi. Viro non est addita talis coma, quia virum in gubernatione, in acie, in senatu, in dicendo conspici oportet. At turpe & alienum à natura est, mulierẽ conspici sine vlla coma. Sit igitur mulier velata. Hinc apparet Paulum non loqui de agnitione Dei, aut de tota gubernatione vitæ humanæ, sed de ritu quodam pertinente ad honestatem publicam, vult enim fieri id quod est honestius, quia naturæ magis congruit: sicut nos dicere solemus: Honestius esse in publico congressu vestitum esse mediocriter longa veste. Quia naturæ congruit, quasdã corporis partes tegere. Ostendit autem Paulus ipse, se nõ velle hoc superstitiosè intelligi. Nam si quis, inquit, videtur contentiosus esse, nos eiusmodi consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei. Non igitur cultum facit, neque opus necessarium, consuetudinem illam velandi: sed vult contentiones vitari, & monet, quid sit honestius, videlicet quod conuenientiam habet cum natura.

ARGV-

ARGVMENTVM V.

¶ Philosophi grauissimas sententias tradũt de Deo, & de omnium virtutum officijs. Non est igitur maior sapientia quærenda in libris Propheticis & Apostolicis, quàm qualis reperitur apud Ethnicos. Nec causa est, cur scriptis Gnomologicis Ethnicorum anteferendi sint libri Salomonis, Siracidæ, & aliorum, qui præcepta de regenda vita continent.

RESPONSIO.

Vetus est hæc obiectio contra doctrinã Ecclesiæ. Nam & Iulianus Imperator scribens contra Ecclesiã Dei, opposuit Salomoni Phocyliden, vt ostenderet, doctrinam de virtutibus & discrimẽ bonarum & malarum actionũ, non defuisse Ethnicis. Hunc refutans Cyrillus tantùm eo antefert Salomonẽ, quòd ætate anteceſſerit Phocyliden. Nam Phocylides qui fuit Milesius, et Theognis, qui fuit Megarensis, Cyri & Thaletis ætate vixerunt. Hæc temporum collatio etsi vera est, & Græci ipsi scribunt, Phocylidæ sententias ex alijs vetustioribus monumentis collectas esse, in quibus reliqua fuerunt præcepta primorum patrum post Iaphet: tamẽ alia responsio multò firmior ex veris fontibus doctrinarum sumenda est, videlicet ex discrimine legis & Euangelij. Etsi enim concedẽdum est, scriptores Ethnicos recitare bonam partem legis: tamen errant, quicunq; existimant, in Ecclesia tantùm esse Legis doctrinã, ac discerni Ecclesiam à ceteris gentibus tantùm professione præceptorum de moribus, In enarrat. Prouerb. Salomon. Tom. 2. op. 872. & 877.

WBP Opole

sicut & Lactantius collationem tantùm legũ facit. Alia est Ecclesiæ propria doctrina, scilicet de patefactione Dei, facta illustribus testimonijs, de editis promissionibus, de Euangelio annunciante remissionẽ peccatorum, & offerente vitam æternam propter Filium, de consolatione in cruce, &c. De his summis rebus muti sunt Ethnici scriptores. Quare longè anteferenda est sapientia Ecclesiæ, & sciendũ est, discrimen Ecclesiæ à ceteris gentibus non facere Legis notitiam, sed hanc ipsam vocem Euangelij, de remissione peccatorum, & omnibus beneficijs Mediatoris. Hoc discrimen Legis & Euangelij cùm nesciret Iulianus, in illa sua collatione toto cœlo errat. Præterea & in ipsis præceptis legalibus discrimen est inter libros Scripturæ sacræ, et scriptores Ethnicos. Quãquam enim ex notitijs, quas voluit Deus reliquas esse in homine, apud Ethnicos quoq; boni gubernatores honestas leges, & scriptores sapiẽtes honesta præcepta hauserunt, vt Homerus, Hesiodus, Pindarus, Phocylides, Theognis, Sophocles, Euripides, & alij, tamẽ præcepta illa, ferè ad secundam tabulam Decalogi pertinẽt. Nihil dicunt de interioribus cultibus Dei, cõgruentibus ad primam tabulam Decalogi. Nihil monent de vera agnitione & inuocatione Dei, de fide, dilectione, timore Dei, nõ docent virtutes referendas esse ad gloriã Dei, non monstrant quomodo in nobis existant virtutes Deo placẽtes, & quomodo placeãt. At in Salomone & alijs, qui sentẽtias in Ecclesia scripserunt, præter illa præcepta Ethica, Politica, & Oeconomica, quorũ similia tradiderũt viri sapientes Ethnici, aliæ multæ sunt sententiæ, quæ sunt explicatio primæ tabulæ Moysi. Crebro.n. repetũtur dicta de timore Dei, & de fide. Nec solùm discernitur verus Deus patefactus in populo Israel ab omniũ gentium commen-

cõmentitijs numinibus, sed passim etiam præcipitur, vt agnitio & inuocatio huius veri Dei omnibus actionibus præluceat, & vt fide singuli statuant. Deum nobis propitium esse, & nos exaudiri propter Filium Mediatorem, & propter eum placere reliquam obedientiam in officijs vitæ mandatis.

FAllacia est à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Fit enim processus à parte ad totũ. In Ethnicis scriptoribus sunt honestæ sentẽtię, quæ sunt riuuli legis diuinæ, congruentes cũ secunda tabula Decalogi. Ergo tota sapientia Ecclesiæ continetur in scriptis Ethnicis. Hoc verè est ex scalmo facere nauim. Est que fons erroris in hoc argumento ignoratio discriminis inter Legem & Euangelium: sicut ante hæc tempora, cùm magnæ tenebræ essent sub Papatu, & multi putarent doctrinam Ecclesiæ, tantùm esse doctrinam Legis, nec discernerent inter promissiones de Mediatore & præcepta moralia, quidam Doctor Theologiæ dicere solitus est, etiam amissis libris Propheticis & Apostolicis, satis doceri posse Ecclesiam ex Ethicis Aristotelicis. Contrà verò sciendũ est, sapientissimos scriptores Ethnicos tantùm complecti particulam Legis de quibusdam externis & ciuilibus officijs. Nam de veris Dei cultibus nihil docent, etiamsi in genere vtcunque dicunt, pietatem colendam esse. Prorsus autem ignorant, Filium Dei, & promissionẽ de gratuita R. P. & de recõciliatione, & de hæreditate vitæ æternæ donandæ per fidem in Filium Mediatorem. Et quanquã de virtute gloriosè multa disputant: tamen hanc propter se tantum expetendam esse iudicant: nec ostendunt, quomodo tota obedientia, quæ Legi præstanda est, inchoari possit in hac infirmitate naturę, & quomodo Deo placeat, cùm multis sordibus contaminata sit. At in Ecclesia retinetur integra & incorrupta Legis & Euangelij doctrina, & notitia Filij Dei crucifixi pro nobis, & resuscitati. & docetur quomodo persona

Deo placeat, & quomodo fieri rectè possint virtutes primæ & secundæ tabulæ, & ad quem finem principalem referendæ sint. Denique quomodo Deo placeãt.

ARGVMENTVM VI.

In 3. lib. Di. Ph. de reg. Syl.

¶Cuiuslibet contradictionis altera pars est vera.
Mahometica doctrina est contradictionis altera pars.
Ergo Mahometica doctrina est vera.

RESPONSIO.

Dialectica cauillatio est, quæ ad quascunque materias accõmodari potest. Est autem neganda consequentia, quia proceditur à nõ distributo ad distributũ. Nam maior propositio tantùm est particularis, & quanquã addita est vniuersalis particula: tamẽ in Minore fit subsumtio sub hoc membro, altera pars: non autem fit subsumtio sub vniuersali, cuiuslibet contradictionis. Sic autem debebat fieri subsumtio.

Cuiuslibet contradictionis altera pars est vera, altera falsa.

Hæc sunt contradictoria: doctrina Christiana & doctrina Mahometica.

Ergo harum doctrinarum altera vera, altera falsa erit.

Cùm autem constet doctrinam Christianam esse veram, sequitur Mahometicam esse falsam. Hæc postquã de forma argumenti dicta sunt: deinceps et res considerentur. Teneamus igitur has confirmationes toto pectore, quæ conuincunt, Mahometicam doctrinam falsam esse & reijciendam.

Prima

Prima confirmatio hæc est:

In Chron. Ph. Tom. 5. op. 278. & 279.

Nulla doctrina de Deo posterior Apostolis, quibus Filius Dei resuscitatione mortuorum testimonium dedit, dissentiens ab Euangelio, potest esse vera.

Manifestum est autem Mahometi doctrinam, plus quingentis annis posteriorem esse Apostolica, & ab Apostolica dissentire.

Non igitur vera est.

Altera confirmatio est: Impossibile est Ecclesiam Dei esse cœtum ex professo reijcientem scripta Prophetica & Apostolica.

Mahometistæ ex professo reijciunt scripta Prophetica & Apostolica.

Non igitur sunt Ecclesia Dei, neque doctrina ipsorum vera est.

His argumentis commonefacti, postea videamus vbi & quomodo dissentiat Mahometica doctrina à scriptis Propheticis & Apostolicis. Qua in consideratione necesse est discerni Legem & Euangelium, & vsum Legis, qui proprius est ministerij Ecclesiæ, & vsum politicum. Quanquam enim politica quædam in Lege Mahometi plausibilia sunt: tamen tota Lex Mahometi est politica, forma pœnè Laconica. Interea verò deletur à Mahometo propria vox Euangelij de Filio Dei, quia neque quis sit, neque cur missus sit rectè dicit. Quare cùm manifeste blasphemus sit Mahometus, doctrinam de persona Christi & de officio corrumpens, & palàm contradicat Prophetis & Apostolis: execremur Alcoranum, & confirmemus nos regula: Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Hæc refutatio Mahometi sumta ex Euangelio est il-

lustris. Alij legalia quædam taxant. Sed deletio Euangelij est longè maius scelus. Postea & legalia aspiciantur Semper confusiones libidinum sunt signa impietatis. Mahometus re ipsa delet coniugium, concedēs diuortia procuiusque arbitrio, etiamsi nullæ probabiles causæ sint. Nam ducere & abijcere cùm libet, re ipsa est vulgaris scortatio. Dissentit etiam à doctrina diuina prohibitio vini & suillæ carnis. Denig; tota lex Alcorani est mandatum de homicidio, quia iubet interficieos, qui credunt, Christum esse Filium Dei: præcipit item propagari suos errores gladio. Hæc prædicta sunt apud Danielem cap. 7. de cornu loquente sermones contra excelsum, & conterente sanctos altissimi.

In loc. Theolog. Tom. 4. oper. 183.

PRimùm in hoc argumento cogitandũ est de forma seu consequentia vitiosa. Incurrit enim in regulam: Ex puris particularibus. Nam maior propositio non est completè vniuersalis. Et fit subsumtio nõ sub vniuersali, sed sub altera parte non posita vniuersaliter. Id nominant Dialectici, Procedere à non distributo ad distributum: vocãt enim distributa vniuersaliter posita, vt spargi in omnia inferiora possint. Non distributa sunt, quæ etsi speciem vniuersalium propositionum habeãt: tamen non sunt completè vniuersales propositiones, neq; conuerti simpliciter possunt. Mutatis casibus statim deprehenditur vitium: Quælibet contradictio continet duas partes, quarum altera vera, altera falsa est. Sed hæc est contradictio: Lex Mahometi & doctrina Christi. Harum igitur altera falsa erit. Tenenda est autẽ & altera responsio sumta ex veris fontibus, quæ ostendit doctrinã Mahometi falsam esse & impiam. Hic argumẽta sunt perspicua. Primùm à circumstantia tempotis sumitur, iuxta dictum Tertulliani: Antiquissimum quodq; verissimmũ est, adulterinum quodcunque posterius. Alterum argumentum

tum sumtum est à genere doctrinæ. Quod cùm ab autoritate scriptorum Propheticorum & Apostolicorũ dissentiat, impossibile est legem Mahometicam veram esse. Vt autem discrimen intelligatur, instituenda est collatio secundum Euangelium & Legem. Tota Lex Mahometi est manifesta cõtumelia aduersus Christũ. Negat enim duas naturas esse in Christo. Negat missum esse Christum, vt eius mors sit preciũ pro peccatis nostris, vt propter eum dentur remissio peccatorum. imputatio iustitiæ, Spiritus S. & hæreditas vitæ æternæ. Negat per eum & propter eum, fieri resuscitationem mortuorum. Tantùm dicit Christum fuisse legislatorem, & quidem inermem & inutilem imperio. Deinde fingit eleemosynas & laborem militiæ mereri remissionem peccatorũ & vitam æternam. Hæc est manifesta deletio Euangelij doctrinæ. Etsi autem retinet Mahometus aliquam particulam legis, continentem præcepta ciuilia, & accommodata politiæ: tamẽ multipliciter corruptelas addit, confirmando libidines & parricidia, & lanienam innocentum Christianorum.

ARGVMENTVM VII.

¶ Norma veritatis sunt scripta Prophetica & Apostolica. In præfat. P. in 7. To. Tom. 4. Decl. fol. 619. & 620. edit. Argent.

Papistæ retinent scripta Prophetica & Apostolica.

Ergo Papistæ retinent puritatem veræ doctrinæ.

Eodem modo de hæreticis & fanaticis omnium temporum obijci potest.

Retinens scripta Prophetica & Apostolica, retinet normam veræ doctrinæ.

Hæretici gloriantur se retinere verbum Dei, seu scripta Prophetica & Apostolica.

Ergo hæretici retinent veritatem doctrinæ.

RESPONSIO.

Vt in populo Iudaico Sadducæi palàm reijciebant Prophetas: sed Phariſæi aliter fallebant populum: retinere ſe propheticos libros ſimulabant, & interea fingebant alias opiniones, quas tanquam fuco pingebãt aſtutè illitis Prophetarum verbis: Sic omnibus temporibus Epicurei palàm aſpernantur libros Propheticos & Apoſtolicos, vt nunc faciunt Mahometiſtæ & iudæi recẽtes, qui reijciunt ſcripta Euangeliſtarum & Apoſtolorum. Hi cùm palàm ſint hoſtes Dei, faciliùs & agnoſci & vitari poſſunt. Eſt enim aduerſus hos perſpicua defenſio: Impoßibile eſt eſſe populum Dei illos, qui fatentur ſe nõ recipere libros Propheticos & Apoſtolicos. Hanc arcem teneamus aduerſus omnes Ethnicos, Mahometiſtas, Iudæos. & alios manifeſtos Eccleſiæ hoſtes.

„ *Sed alij inſidiantur aſtutiùs, qui cùm iactitent, ſe*
„ *amplecti libros Propheticos & Apoſtolicos: tamen pro*
„ *illis obtrudunt alienas ὑποκρίσεις δόγματα, vt Samoſatenus, Arius, Seruetus, & horum diſcipuli vociferantur, ſe retinere libros Apoſtolicos, & tamen dicta de Filio Dei eludunt. Papiſtæ impudenter dicunt non eſſe certam doctrinam librorum Propheticorum & Apoſtolicorum, ſed hanc ex interpretationibus vſitatis apud*

Tom. 2. „ *ipſos ſumendam eſſe.*
op. 930. „ *Aduerſus hos ſciendum eſt, non modò veritatis nor-*
& 931. „ *mam eſſe ſcripta Prophetica & Apoſtolica, ſed etiam na*
in expl. „ *tiuam & incorruptam horum ſententiam retinendam*
Prouerb. *eſſe. Sicut Prouerb. 30. dicitur: Omne verbũ Dei purga-*
Salomo. *tum eſt clypeus credenti. Vult ſermonem Dei nobis clypeum*

peum eſſe, et fidem affirmat niti ſermone diuino. Diſertè autem inquit, purgatum eſſe vt metalla purgantur, id eſt, puritatẽ retinendam eſſe, nec miſcendas eſſe imaginationes carnales, neque addendas eſſe corruptelas. Item To. 4. ope. 815. in refut. Staphyl.

Iam verò neque Papiſtæ, neq; fanatici hanc puritatem retinent: etſi gloriãtur, ſe non abijcere ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Nam hæretici & omnes præſtigiatores, ſine ſapientia legunt Prophetarum & Apoſtolorum libros, id eſt, fontes non rectè diſcunt, qui ſunt in ipſis libris Propheticis & Apoſtolicis. Cumq; nec ordinẽ doctrinæ, neque diſcrimina membrorum conſiderent, nequaquam retinent natiuam ſententiam, ſed affingunt prophanas opiniones, & ludunt præſtigijs.

„ Tom. 4. op. 330. Et 362. in enarrat. epiſt ad Coloſſ.

De Papiſtis verò notum eſt, quàm tetros errores tuentur, & quas corruptelas addant pugnantes cum ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Manifeſtè delent articulum de remißione peccatorum, quia dicũt homines mereri remißionem peccatorũ proprijs operibus, & iuſtos eſſe impletione Legis: cúmque nemo ſciat, quando ſatis habeat operum, iubent homines perpetuò dubitare, an habeant remißionem peccatorum, & an placeant Deo. Corrumpunt igitur dicta de Mediatore Filio Dei, & de fide accipiente gratuitam remißionem peccatorũ, & vincente dubitationem: fingunt deprauationem in natura humana, quæ nominatur mala concupiſcentia, nõ eſſe peccatum, id eſt, non eſſe malum pugnans cum lege Dei: fingunt obediẽtiam, quæ præſtari poteſt in hac vita eſſe impletionem Legis: dicunt in pœnitentia contritionem oportere ſufficientem eſſe: flagitant in confeßione enumerationem ſingulorum delictorũ: nomen ſatisfactionum falsò transferunt ad cõpenſationes pro peccatis, & hæc opera nõ debita fingunt cultus Dei eſſe: ſta-

In repet. conf. Sax. Eccleſ. Tom. 1. oper. 122, & 123.

biliunt idola pugnantia cum lege Dei: inuocant sanctos mortuos: adorant statuas: defendunt legem de cælibatu: multipliciter profanant Cœnam Dominicam: alligant Ecclesiam ad ordinariam potestatem, & constituunt primatum Romani Pontificis: anteferunt traditiones humanas verbo Dei: denique in plerisque partibus doctrinæ Christianæ tradunt & propugnant pugnantia cum scriptis Propheticis & Apostolicis.

IN vtroque argumẽto fallacia est à dicto secundum quid. Primùm igitur ad Maiorem respondeo. Norma veritatis sunt scripta Prophetica & Apostolica, videlicet, si retineatur natiua & incorrupta sentẽtia Prophetarum & Apostolorum, & non misceãtur carnales seu profanæ imaginationes, neq; addantur traditiones impiæ de nouis & idololatricis cultibus. Hanc declarationẽ necesse est addi. Quia vox diuina nõ modò ad scripta Prophetica & Apostolica nos alligat, sed etiã natiuam sententiã retineri iubet, iuxta Pauli dictum: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Et Coloss. 3 Verbum Dei habitet inter vos abundè, cum omni sapientia. Et Theodoretus rectè scripsit: Verbũ Dei ἀνοήτως νούμενον, id est, stolidè intellectũ, non est verbum Dei. Deinde ad Minorem respõdeo. Falsa est gloriatio Papistarum & hæreticorum omniũ temporũ, qui iactitant, se retinere scripta Prophetica & Apostolica: cùm aut humanis opinionibus natiuã sententiam verbi diuini corrumpant, aut nouas traditiones & cultus idolorum addant. Taliũ corruptelarum refutatio ex ipsa scriptura sumenda est. Qua de re cùm cogito, in mentẽ mihi venit imago non insuauis. Balsami succo aluntur viperæ, & magna agmina viperarum fruticem velut obsidione cingunt, delectantur & vmbra foliorum: succus autem balsami optimum remedium est contra venenum: sic aluntur balsamo, id est, doctrinæ cælestis voce, autores & defensores malorum dogmatum, & mutatur pabulum in venena, sed balsamum rursus remedium est, id est, testimonijs Scripturæ dextrè inter se collatis, corruptelæ veræ doctrinæ refutandæ sunt.

In orat. de vsu Medicinæ. To. 4. decla. pa. 712.

DE SACRA SCRIPTVRA ET SYMBOLIS, ET horum authoritate.

ARGVMENTVM I.

¶ In sacris libris non modò Prophetica & Apostolica, sed etiam historica scripta continentur.

Non igitur satis est, testari quòd amplectamur scripta Prophetica & Apostolica, nisi expressa mentio addatur de scriptis historicis.

RESPONSIO.

REprehendit Auius, quòd in testificationibus de Confessione fidei harũ Ecclesiarũ, ita plerunq; scripsimus: nos constanter amplecti Prophetica & Apostolica scripta, & symbola, & hanc doctrinã in confessione nostra comprehensam esse. Ergo, inquit, historica scripta in sacris libris non recipitis? Hæc cauillatio quam sit ieiuna & futilis, quis non videt? Cùm Propheticos & Apostolicos libros nominamus, complectimur omnes libros,

In respõs. Ph. ad crimin. Staphyli & Auij, Tom. 4. op. 320.

qui testimonio Ecclesiæ recepti sunt, & discernuntur ab Apocryphis. Dicebantur autẽ Apocryphi, qui non legebantur publicè in Ecclesia, & quorum testimonia non recipiebantur, vt diuina. Libri historiarum in Ecclesia Hebræa, publica authoritate à Prophetis & collegio Sacerdotum scripti sunt. Quare hos inter Prophe-ticos vsitata phrasi comprehendimus.

FRigida cauillatio est, & calumnia magis quàm vera reprehensio. Multa enim dicũtur implicitè, hoc est, sæpe non fit expressa mẽtio aliquarũ rerum, quas tamen rectè & candidè iudicantes facilè intelligere possunt, inclusas esse in mentione aliorum, de quibus disertè & nominatim dicitur. Ita scriptorum Prophe-ticorum & Apostolicorum mentio, omnes libros sa-cros comprehendit, qui sunt graui & publica autho-ritate recepti, in Ecclesia catholica, & orthodoxa om-nium temporum.

ARGVMENTVM II.

In respon-sione ad criminat. Staphyli. Tom. 4. oper. 821. & 815. Item in e-narrat. symbol. Nic. To. 101. 380, b.

¶ Salomon expressè præcipit: Non addas verbis Dei, ne arguaris & fias mendax. Non igitur probandum est cõsilium eorũ, qui in Ecclesia tradiderunt Symbola, ne-que in controuersijs de doctrina rectè coniungitur mentio Symbolorũ, cùm scriptura Prophetica & Apostolica.

RESPONSIO.

Symbola, quæ hîc nominãtur, nõ continent aliud doctrinæ genꝰ, quã scripta Prophetica et Apostolica. Quẽ-admodũ constat, singula membra symboli Apostolorum, vt

vt Græca Ecclesia recitat, expressè in scriptis Prophetici & Apostolicis tradita esse, ac nihil in Symbolo Græco addi. Eamq; breuem recitationem traditã esse, vt res alibi narratæ prolixiùs, hîc ordine distributæ, & breuiter comprehensæ in conspectu sint, vt in inuocatione simul, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & mox summa beneficia cogitemus. Idem de Symbolo Niceno & Athanasiano respõdeo. Affirmo idem de doctrina Ca-nonibus, quos ex vrbe Roma Damasus misit ad Græcos Episcopos, & de doctrinæ explicatione facta in Synodo Ephesina & Calcedonensi. Hæc dogmata complecti-mur, cùm Symbola nominamus, quia sunt breues repe-titiones doctrinæ in scriptis Propheticis & Apostolicis traditæ contra impostores, qui præstigijs sophismatum corrumpebant scripta Prophetica & Apostolica. Et sym-bolorum mentionem ad scripta Prophetica & Apostoli-ca adiungamus, vt testemur, nos auersari præstigiato-res, qui peregrinas interpretationes Prophetico & A-postolico sermoni affingunt. Simul etiam vt ostenda-mus, velle nos audiri Ecclesiam, vt doctricem, etsi fides non Ecclesiæ authoritate, sed verbo Dei nititur.

DIctum Salomonis prohibet verbo Dei aliquid addi, videlicet vel articulum fidei, vel cultum Dei, non traditum testimonijs diuinis: vel in vniuer-sum pugnãs aliquid cum expresso verbo Dei. At verò symbola, seu professiones fidei graui authoritate in Ecclesia orthodoxa omniũ temporũ traditæ & cõser-uatæ, nihil nouum neq; alienum à scriptura sacra con tinent: sed sunt velut Epitomæ, aut cõpendia, in qui-bus præcipua capita doctrinæ cælestis, quæ in verbo Dei proponitur, perspicuè ac breuiter recitantur. Ac initio quidem talia symbola condita sunt in Ecclesia: primùm, vt populus integrum corpus doctrinæ mẽte

circumferre, & in inuocatione assiduè intueri posset: deinde, vt confessiones illæ discrimen facerent inter Ecclesiam, & alios qui erant alieni ab Ecclesia, & doctrina eius. Postremò, vt his ipsis confessionibus refutarentur corruptelæ doctrinæ, excogitatæ audacia humana ab hæreticis, detorquentibus testimonia vocis diuinæ in peregrinam sententiam. Retinemus autem nunc quoque symbola illa, vt doctrinæ summa breuiter comprehensa semper in conspectu sit, & docti ac indocti non mutilam doctrinam, sed quasi corpus integræ doctrinæ secum in mente circumferant, & hanc confessionem ore edant & confirment, & eam in omni inuocatione intueantur. Præterea & in controuersijs dogmatum, mentionem illorum facimus, vt sint testificationes de perpetuo consensu Ecclesiæ, in retinenda puritate doctrinæ: item vt sint testimonia, nos alienos esse, & seriò abhorrere ab omnibus corruptelis repugnantibus verbo Dei, & damnatis in Ecclesia veris iudicijs.

ARGVMENTVM III.

¶ Amplectimur symbola propter authoritatem Ecclesiæ.

Ergo & cetera, quæ sunt tradita ab Ecclesia, firmiter amplecti debemus.

Non est igitur quidquam mutandum in Ecclesiæ traditionibus.

RESPONSIO.

In respõs. Ph. ad criminat. Staphyl. & Auij. Tom. 4. op. 821,

De hoc argumento Auius Colonienſis nominatim ad respondẽdum Ecclesias nostras prouocat. Cùm Ecclesiæ autoritas non sit labefactanda in symbolis, cur labefit in ceteris, quæ non pugnant cum mandatis diuinis?

Hoc laqueo existimat Ecclesias nostras iam strangulatas esse, & gloriosè semet ipsum effert, ac triumphum agit. Sed prima hæc, planissima responsio est.

Quæ nos taxamus in doctrina et ritibus aduersariorum dicimus expressè pugnare cum mandatis diuinis.

Deinde dicimus, Apostolos longè aliam voluisse Symboli sui authoritatem esse, quàm rituum, quos alibi alios seruabant. In celebrando Paschate, aliquos diem Iudaici Paschatos retinuisse scribitur.

Præterea constat singula membra symbolorum, expressè in scriptis Propheticis & Apostolicis tradita esse. Ideoq; etsi Ecclesiam audimus vt doctricem: tamen fides qua amplectimur Symbola, non Ecclesiæ authoritate, sed verbo Dei nititur.

Idem sciendum est de iudicijs Synodorum quæ dissimilia sunt politicis: valent enim decreta in politicis iudicijs, in his quæ sunt iuris positiui, vt loquimur, authoritate regia vel prætoriâ. At confessiones in Synodis, quæ sunt piæ, sunt testimonia, quæ ostendunt, quid pij tunc, & antea senserint: quæ necesse est non dissentire à scriptis Propheticis & Apostolicis.

Hæc, veros fontes responsionis, opponendæ argumẽto Thrasonis Auij monstrant. Quanquam hoc ipsum satis erat, quòd ea quæ reprehendimus in Monachorum doctrina, & Pontificum decretis, manifestè pugnant cum mandatis diuinis: idq; ex vera norma iudicij, videlicet ex scriptis Propheticis & Apostolicis, & Symbolis, singuli homines non athei iudicare & possunt, & debent, iuxta dictum: Si quis aliud Euangelium docet, anathema sit.

IN antecedente, seu propositione, quæ priori loco recitatur in hoc argumento, fallacia est à non causa vt causa. Quia etsi Ecclesiam Orthodoxam audimus, vt doctricem & testem: tamen vt Ecclesia non genuit ex se Symbola, sic non propter hominum authoritatẽ amplectimur illa, quæ in Symbolis sunt comprehensa, sed fides nititur ipso Dei verbo, ex quo singula mẽbra Symbolorum desumta sunt. Facilè enim intelligi potest, non posse illis hominibus sine certissimis Dei testimonijs credi de rebus tantis, & tam arcanis Filium Dei missum esse, vt fieret victima, certò nos gratis recipi propter Filium, mortuos homines certò recepturos esse corpora, &c.

Habent igitur articuli fidei, comprehensi in Symbolis, authoritatem non ab Ecclesia, sed à Deo, qui arcanam voluntatem patefecit verbo suo, quod ipse Ecclesiæ tradidit.

In consequente insidiæ sunt in appellatione Ecclesiæ, quam Pontificij ad Romanam Ecclesiam falsò restringunt. Deinde multiplices sunt insidiæ, in mentione illorum, quæ ab Ecclesia dicũtur esse tradita. Nam alia, quæ hoc titulo & prætextu ornantur, & excusantur, manifestè pugnant cum verbo Dei, vt adoratio statuarum, inuocatio mortuorum, prohibitio coniugij, adoratio panis, oblatio Missarum. Item errores in doctrina, quales sunt de iustificatione coram Deo, de dubitatione perpetua, de impletione Legis, de peccato, de libero arbitrio, de discrimine operum, de pœnitentia, de Sacramentis, &c. Hæc simpliciter abijci necesse est, tanquam pugnantia cum scriptis Propheticis & Apostolicis, & cum Symbolis, & vniuerso consensu veteris & purioris Ecclesiæ,

Alia verò sunt tradita in Ecclesia non de dogmatibus, sed de cæremonijs seu ritibus medijs, quæ non aduersantur expressè mandatis diuinis. Horum non est ea authoritas, vt quemadmodum Symbola recipi ac seruari ab omnibus vbiq; locorum & temporum debeant. Neque cùm seruantur alicubi, affluendæ sunt opiniones

opiniones falsæ & impiæ, quòd ritus illi sint merita aut cultus, & quòd omittere eos, præsertim extra casum scandali, sit peccatum. Hæc cum multipliciter confundant Pontificij, qui omnes suas traditiones, perinde vt Symbola, obtrudere Ecclesijs conantur: etiam ob hanc causam consequentia in hoc argumento neganda est. Quia plus attexitur in consequente, quàm ex antecedente rectè intellecto sequitur.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Vetus dictum est: Fruſtra seruat Euangelium, qui non seruat canones conciliorum.

Ergo non tantùm quæ in scriptis Propheticis & Apostolicis continentur, sed etiam decreta Synodorum habenda sunt pro norma doctrinæ in Ecclesia.

RESPONSIO.

Recitatur hoc dictum in illa farragine, quæ nominatur liber decretorum. Ac rudes cohorrescere existimo, cùm hanc vocem legunt seu audiunt. Necesse est enim hanc sententiam firmissimo pectore tenere: Certò filios Dei, & hæredes esse vitæ æternæ eos, qui Deum iuxta Euangelium inuocant, vbicunque viuunt, etiamsi cæteri ritus extra Euangelium dissimiles sunt. Sic enim dictum est: Si quis diliget me, sermonem meum seruabit & Pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Hac voce, Filius Dei nos fieri domicilium diuinitatis affirmat, quàm ipse tradit, non alijs opinionibus, & quidem disertè scri-

In quæst. de Canonibus concilior. Tom. 4. declam. 887. & deinceps.

WBP Opole

ptum est: Nihil addas aut detrahas. Item, Frustra colunt me mandatis hominum.

Vnde igitur hoc dictum atrox receptum est, quod ait, Frustra seruari Euangelium, si non seruantur Canones? Falsum, impium, & tyrannicum dictum est, si intelligatur de opinionibus aut ritibus extra Euangelium excogitatis. Quare non rectè faciunt, qui hoc dicto authoritatem Synodorum augere conantur.

Sed nec veteres nominarunt Canones, humanas opiniones, aut decreta, excogitata extra Euangelium, ac longè aliud senserunt, quàm quod nunc interpretantur hi, qui traditiones humanas & doctrinas dæmoniorum defendunt. Nam in Synodis vetustis nominantur Canones, tantùm Symbola, & sententiæ de vera doctrina, in quibus reiectæ sunt impiæ opiniones & blasphemiæ, vt Canon est Synodi Nicenæ: Anathema sit, qui amplectitur Samosateni blasphemiam. Sic Canon est Synodi Gangrensis: Anathema sit, qui coniugio aut esu carnium dicit pollui Christianum.

Tales sententiæ sunt confessiones piorum, repetentes & asserentes ipsam Euangelij vocem, non proponentes alia noua dogmata extra Euangelium.

Tales sententias prima antiquitas nominabat Canones. Postea vetusti nominis vmbra confirmati sunt errores. Quare simus circumspecti, & quomodo antiquitas locuta sit, consideremus.

FAllacia est amphilogias in Antecedente. Non est autem ludendum ambiguitatibus & cothurnis in Ecclesia, sed explicatè dicendum, quæ doctrina necessaria, quæ non sit necessaria. Cùm igitur dictum obijcitur, Frustra seruari Euangelium, si non seruentur Canones Synodorum, prius explicandum est, quid

quid vetustas nominauerit Canones. Nec hyperbole illa, vt multis dictis veterum accidit, malè detorquenda est ad superstitionem & ad tyrannidem.

ARGVMENTVM V.

¶ Non potest esse norma perspicuæ & veræ certitudinis, quod aut obscurum est, aut ambiguum, aut secum non consentiens.
Dicta Prophetica & Apostolica sunt partim obscura, partim ambigua, partim inter se discrepantia.
Ergo non possunt esse norma certitudinis.

RESPONSIO.

Immensa bonitate Deus non solùm in opificio mundi se patefecit, sed etiam prodiens in arcana sede, allocutus est homines sua voce, & qualis sit, quomodo agnosci & inuocari velit, ostendit, ac legem & promissiones tradidit. Cùm autem pro hac patefactione grata esse vniuersa hominum natura deberet, & hoc testimonio mens erudienda & confirmanda esset, & vox Dei reuerenter audienda, & firmissimè amplectenda: dolendum est præstigijs Diaboli etiam has patefactiones obscurari, & humanis mentibus vocem Dei excuti. Nam hac cauillatione labefactant impij cœlestem sermonem, quòd magna ex parte obscurus, ambiguus, & enigmatum aut numerorum Platonis similis sit. Ac nouimus quosdam, qui prorsus abiectis libris Prophetarum & Apostolorum, in templis ad verbum enarrabant Aristotelis Ethica, & pauca de cæremonijs addebant, sumpta à consuetudine, eáque

In præfat. quæ extat Tom. 4. Decl. pag. 641. & deinceps.

docendi formam iudicabant vtilißimam eſſe. Papiſtæ
Ibid. 620. *etiam impudenter dicunt, non eſſe certam doctrinam librorum Propheticorum & Apoſtolicorum, ſed hanc ex interpretationibus apud ipſos ſumendam eſſe.*

Ibid. 644. & 645. *Non autem putemus Deum ex illa ſua arcana ſede prodijſſe, vt ambigua dicta ſpargeret & generi humano tanquam μῆλον ἔριδ& obijceret. Sed in lege iudicium & iram verè agnoſci voluit, in promißionibus conſpici immenſam bonitatem & miſericordiam: quas hāc ipſam ob cauſam patefecit, ne totum genus humanum periret: Ac voluit notam eſſe ſuam voluntatem de Mediatore Filio, de reconciliatione, de remißione peccatorum, de venturo iudicio, de reſtitutione vitæ æternæ. Cùm in ſchola interpres alicuius artis obſcurè docet aut ſpargit ambigue dicta, deſideratur in docente vel eruditio, vel fides. Nec dubium eſt, ſapientes & fideles Doctores præcipuè in hanc curam incumbere, vt planißimè doceant & tradant certam, & quaſi metis ac ſeptis incluſam doctrinam, ne ambiguitas errorem pariat. Non poteſt autem Deo tribui inſcitia: poteſt diſertè dicere quæ cogitat, & cum immenſa miſericordiæ generis humani afficeretur, voluit certè conſolationes non ambiguas eſſe. Quoties Abraham, quàm blandè alloquitur? quoties eaſdē conſolationes repetit, vt et ipſum & vniuerſam Eccleſiam confirmet? Iubet etiam æternus Pater clara voce de cœlo ſonante audiri Filium, cùm inquit: Hic eſt Filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. Quid attinet audire, ſi non adfert certam & firmam doctrinam? Denique de his ipſis ſcriptis Propheticis, quæ extant in Eccleſia, inquit Paulus: Tota ſcriptura diuino Spiritu tradita, vtilis eſt ad docendum, &c. Et Petrus: Habentes ſermonem Propheticum, hunc ſequamini intenti, ceu lychnum in obſcuro loco lucentem. Petrus lychno lucenti confert ſermonem Propheticum. Homines prophani dicunt eſſe tenebras, aut præſtigias. Pſalmus inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Homines prophani inquiunt: Imo legantur Ariſtotelis Ethica, legantur decreta Pontificum: in his eſt Politia Eccleſiæ certò & ſine ambiguitate conſtituta. Eſaias ipſe inquit: Ad legem & ad teſtimoniū: qui non dixerit iuxta verbum hoc, non erit ei lux matutina. Denique talia præconia ſermonis diuini multa extant, quæ moueant bonas mentes, vt ſtatuant, & legendos eſſe libros Propheticos & Apoſtolicos, & ex ipſis tanquam fontibus petendum eſſe doctrinam certam legum, promißionum & articulorum fidei: & Deo ſe patefacienti hunc honorem tribuant, vt ſentiant, voluiſſe eum verè & vtiliter docere & conſolari genus humanum, non voluit vt impoſtor tantùm offundere præſtigias. Quod cogitari ſcelus poteſt atrocius, quàm fingere, Deum voluiſſe in docendo tantùm diſcordias ſerere? Ab hac impia opinione abhorrere totis mentibus & pectoribus omnes homines oportebat.*

RESponſio eſt ad minorem argumenti propoſiti per inficiationem. Sermo Propheticus & Apoſtolicus, & Symbola non ſunt Sphingis ænigmata, aut folia Sibyllæ, aut præſtigię Oraculorū, id eſt, ſermones incerti, obſcuri, perplexi, non intellectit ſed Filius Dei, qui protulit Euangelium ex ſinu Patris, & eſt λόγ& æterni Patris, verax nuntius eſt, & vult intelligi, nec adfert ambigua dicta, aut numeros Platoticos. Idem Prophetas & Apoſtolos miſit, doctrinam æterni Patris traditam à Filio Dei ſonantes. In hac doctrina manifeſtum eſt Legis moralis ſermonem proprium & perſpicuum eſſe. Proprio etiam ſermone recitantur

Euangelij promissiones: & sic de omnibus Fidei articulis sentiri necesse est. Est & in præcipuis membris historiarum & concionum Propheticarum & Apostolicarum series certa, & genus sermonis perspicuum & proprium. Si quid verò obscuritatis, aut ἀντιλογίας aliquæ rudi lectori occurrunt, Epiphanij grauissimum dictum sequendum est, quod sapienter scripsit: Non omnia verba Dei sunt allegorica, sed intelligantur, vt natiua significatio postulat. Opus est autem θεωρίᾳ, meditatione, & ἀισθήσει seu sensu, ad considerandum de qua materia loquantur. Adhiberi vult Epiphanius intellectum phrasis & circumstantiarum, & distinctionem materiarum definitiones, diuisiones, & rectas ratiocinationes. Deinde & experientiam spiritualem in vera conuersione & consolatione. Cum his etsi vtile est coniungere scripta sinceræ & eruditæ antiquitatis, vt confirmentur veræ & natiuæ interpretationes, & refutentur falsæ & contrariæ sententiæ, tamen fides non nititur patrum authoritate, sed voce diuina. Nec aliud sunt scriptorum veterum explicationes, quàm confessiones piorum & eruditorum. quæ ostendunt quid sentiant, rectè collatis dictis Propheticis & Apostolicis, sine Sophistica. Nec valent horum interpretationes aliam ob causam vllam, quàm quia rectè collatis testimonijs scripturæ ostendunt, quæ sit vera διάνοια. Nec licet eis excogitare nouas interpretationes, alienas à scriptura, aut noua dogmata addere, pugnantia cum Prophetarum & Apostolorum scriptis.

ARGVMENTVM VI.

¶ Christus Iohan. 16. fatetur se locutum esse in parabolis, id est, ait se obscuras sententias seu prouerbia locutum esse.

Rectè igitur Pontificij dicunt sermonem scripturæ esse obscurum, ambiguum, incertum.

RESPONSIO.

Et illa ipsa concio, quam tunc habuit Christus in postrema cœna, & tota summa doctrinæ Euangelij certa, & perspicuis verbis tradita est. Non est igitur obscuritas, quod ad ipsas Christi conciones attinet, sed est obscuritas, quod ad mentes adhuc hebetiores & caligantes attinet. Vt Sol per sese lucidissimus est, sed acies nostrorum oculorum infirmior est, quàm vt fulgorem tantum contueri possit. Christus concionatus est coram Apostolis de ministerio Euangelij, de remissione peccatorum, de efficacia Spiritus sancti, de inchoatione vitæ æternæ, de cruce, de fide, qua sustentandi sunt animi, destituti omnibus præsidijs humanis. Hæc nobis iam legentibus concionem, omnia perspicua sunt. At Apostoli habebant occupatas mentes persuasione de imperio mundano, quæ valdè impediebat intellectum harum concionum, sed postea dato Spiritu sancto euanuerunt illa dulcia somnia de imperio. Ideò ibidem dicit Christus: Postea se planè cum eis locuturum esse. In enarra. c. 16. Ioh. Tom. 3. oper. 833.

FAllacia est à non causa vt causa. Videntur Apostolis obscuræ conciones Christi, non quia in verbis aut sermone, quo Christus vtitur, obscuritas sit aut perplexitas, sed quia Apostolorũ mẽtes fascinatæ imaginationibus anteceptis de regno Christi politico, nõdum assentiri poterant prædictionibus de tam atroci passione Christi, & cruce Ecclesiæ, sicut Lucæ 18. dicitur, Apostolos nihil eorum intellexisse, quæ Christus de passione sua dixerat, & fuisse verbum istud

absconditum ab eis, & non cognouisse eos, quæ dicebantur, &c. Vt enim oculi malè affecti, non rectè vident etiam illa, quæ propè posita sunt, aut vt per vitrum coloratum oculi etiam sani non rectè iudicant de rebus ipsis, & diuersis colorum generibus: sic animus fascinatus falsis opinionibus, etiam illa, quæ planissimè tradita sunt, minimè assequitur, Idque suo non rerum ipsarum vitio.

DE GRADIBVS TESTIMONIORVM QVIBVS DISCERNITUR doctrina Ecclesiæ ab aliarum gentium religionibus.

ARGVMENTVM I.

¶ Semper fuerunt, sunt, & erunt in genere humano diuersæ ac discrepantes religiones, quas cum singulæ gentes pertinacissimè defenderint, dubitari potest, quæ religio vera sit.

Potest igitur & de Christianorum religione dubitari, an vera sit, & an sola sit retinenda.

RESPONSIO.

Tom. 4. Declam. fol. 589. & deinceps. In præfat.

VEtustas gradus testimoniorum recenset, quibus confirmantur piæ mentes, vt agnoscãt ac statuant solam hanc doctrinã de Deo & de salute hominum veram esse, quam Deus ipse in Ecclesia patefecit, ac in Prophetiis & Apostolicis scriptis comprehendi voluit: Cæteras verò

verò sectas & opiniones, quæ dissentiunt à scriptis Prophetici & Apostolicis, præstigias esse à diabolis ortas, & per eorum organa sparsas. vt Deus contumelia afficiatur, & vt multi homines fascinati erroribus, in æternas blasphemias, & in æternum exitium ruant. in 4. Tó. Luth. Ibidem in præfat. in Isago. Palladij. 651. & deinceps.

Primus gradus, qui maximè incurrit in oculos, sunt MIRACVLA, quæ sunt miranda facta extra ordinem naturæ. Etsi enim totus ordo naturæ, de Deo & testimonium & commonefactio est: Tamen cùm doctrinam protulit, præsertim extra conspectum rationis positam, addidit singularia facta extra ordinem naturæ, vt sciri posset non excogitatam esse ab hominibus, sed à naturæ Domino & liberrimo creatore prolatam esse, distinctam ab aliarum gentium opinionibus.

Miraculis annumeranda sunt etiam VATICINIA Prophetarum, de imperijs & de alijs negotijs, quæ nulla creaturarum sapientia certò prospicere potuit. His cùm responderint euentus, prædictiones monstratas esse à mente diuina omnia sciente, fatendum est.

Secundus gradus testimoniorum est, DOCTRINAE ANTIQVITAS. Cùm enim genus humanum « ad hunc finem præcipuè conditum sit, vt ei Deus suam « sapientiam & bonitatem communicet, & vicißim homines agnoscant & celebrent Deum, & toties affirmet vox diuina, semper aliquam fuisse & fore Ecclesiam Dei, aliâs magis aliâs minus frequentem: haud dubiè verum est, quod dixit Tertull. Primum quodque verißimum: Adulterium quodcunque posterius. Est autem doctrina Ecclesiæ, omnibus Ethnicorum religionibus antiquior: sicut manifestum est, omnes Græcos scriptores multo posteriores esse Mose, neque vllam gentem in toto genere humano habere certam & continuam anno-

rum seriem ab initio, præter Ecclesiam. Est igitur doctrina Ecclesiæ vera, & reiiciendæ sunt opiniones contrariæ,

Tertius gradus est COLL. DOCT. Ethnici vtcunque legis particulam retinuerunt. Et tamen horribiliter discesserunt à primo præcepto, conficta multitudine deorum, & inuocatione hominum mortuorum. Item à V. præcepto, mactatione humanarum hostiarum: Item, à VI. præcepto, horrenda confusione libidinum, quas ita approbarunt, vt etiam religionibus eas miscuerint. Impossibile est autem placere Deo doctrinam & cultus, qui dissentiunt à mente Dei. Quare cùm legis notitia omnium hominum mentibus insita sit, fateri ratio ipsa cogitur, etiam legem rectius doceri in Ecclesia. Deinde manifestum est, in Ethnica doctrina prorsus ignotam fuisse promissionem de remissione peccatorum & reconciliatione: Ignotum etiam fuisse Mediatorem, Præterea sapientes omnes fatentur humanam sapientiam nescire causas calumniarum in genere humano. De his maximis rebus cùm soli Ecclesiæ certa doctrina nota sit, necesse est eam amplecti, & in ea acquiescere. Fatetur ratio, legem nusquam incorruptam tradi, nisi in Ecclesia. Ibi cùm certum sit esse vocem Dei, audiatur & hæc doctrina: de qua Ethnicos fateri necesse est, in suis religionibus & doctrinis tenebras esse, & tamen harum rerum explicationem, ad agnitionem Dei, ad quam homo conditus est, & ad veram consolationem necessariam esse.

Quartus gradus testimoniorum est, ARRHABO
„ IN CORDE, videlicet, consolatio seu lætitia, quæ ac-
„ cenditur à Spiritu sancto per vocem Euangelij. Nam
„ hoc fieri sentimus: In veris doloribus, audita voce Euan-

Euangelij, Filius Dei mentibus nostris ostendit voluntatem æterni Patris, ac dicit consolationem, quam sonat vox Euangelij, & assensionem confirmat, ac simul effundit in corda Spiritum sanctum, quo sentimus lætitiam, qua corda acquiescunt in Deo, non iam fugiunt Deum, sed accedunt, inuocant, petunt & expectant ab eo auxilium, & habent initia vitæ æternæ.

Hæc lux in sua cuiusque mente, & lætitia in corde, præsentiam Dei ostendunt. Confirmatur ergo assensio, & verè est fides in mentibus, vt nominat Epistola ad Hebræos, ἔλεγχον οὐ βλεπομένων.

Quintus gradus est Constantia CONFESSO- "
RVM, seu fortitudo Martyrum, quæ dupliciter confir- "
mat alios: Primum quia miraculum est, quo Deus ostendit se robur addere infirmis, contra terrores & supplicia, & præsentiam suam multipliciter declarat: sicut multi in ipsis suppliciis excitarunt mortuos, & alias res miras effecerunt: deinde quia celsitudo animorum in his, qui supplicia placidè sustinent, ostendit Euangelium efficax esse in ipsis, & semen esse DEI: quo inchoantur æterna vita, iustitia & lætitia.

Sextus gradus est conseruatio perpetua Eccle- "
siæ inter tantas ruinas imperiorum & vastationes, vt "
Noha doctrinam, & cultus placere Deo, certum est, quia cetera opiniones & secta omnes deletæ sunt: Sola Nohæ familia seruata est, & quidem manifesta Dei ope. Etsi autem & multi semper admixti fuerunt Ecclesiæ, contagiis malarum opinionum infecti, vt Zachariæ & Simeonis collegæ erant Pharisæi & Sadducæi: tamen vt scopuli stant immoti,

ita vicit & manſit veritas in cœtu Apoſtolorum, poſtea funditus deletis Phariſæis & Sadducæis. Ita deinceps, etſi corruptelas Diaboli ſpargunt, tamen extinguit eas veritas rurſus illuceſcens, quæ quidem ita emergit, vt euentus ipſi iudicium Dei oſtendant.

Ad hunc gradum & ſeptimus adiungitur, videlicet POENAE HOSTIVM *Euangelij.*

Etſi tunc, cùm Filius Dei palàm ſe rurſus generi humano oſtendet, veræ & manifeſtæ pœnæ omnium impiorum conſpicientur, tamen & in hac vita proponuntur exempla. Sinit Deus aliquandiu ſeuire Tyrannos, fanaticos doctores & eorum ſatellites in Eccleſiam, ac interea confeſſio multorum & alia ſigna teſtificantur de Euangelio. Poſtea verò illuſtribus exemplis puniuntur furores impiorum, vt deleti ſunt Pharao, Cananæi, Iudæi, Ethnici, quorum inſignis fuit ſæuitia.

Hos gradus teſtimoniorum ſæpe conſiderare, vtile eſt. Quia mentes hominum partim conuincunt, partim inuitant, vt aſſentiantur doctrinæ, quam Deus propriè tradidit Eccleſiæ ſuæ, & in ea conſeruat.

DVæ ſunt cauſæ, propter quas ſæpe multumque cogitãdum eſt de his gradibus teſtimoniorum, qui demonſtrant ſolius Eccleſiæ doctrinam veram, & non commentitiam, & à Deo patefactam eſſe. Primùm vt refutentur Epicurei & Academici, qui detrahunt certitudinem doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ, perinde quaſi doctrina Eccleſiæ non differat à fabulis & commentis aliarum ſectarum. Deinde vt nos ipſi muniamur aduerſus ignita tela Diaboli, quibus ſauciantur multorum mentes, vt dubitent, & anxiè ſecum diſputent, an hæc ſit vera & certa doctrina, quæ tradita eſt per Prophetas & Apoſtolos. An verò vt multarum gentium religiones, tantùm ad demulcendos

dos animos hominum, & in officio continendos proponatur in Eccleſia. Occaſio argumenti ſumta eſt ex varietate & multitudine diuerſiſſimarum religionum, quæ ſemper fuerunt in mundo, & ex pertinacia hominum defendentium eam religionis ſpeciem, quàm ſemel amplexi ſunt. Etſi autem de alijs religionibus non ſolùm dubitari poteſt, an veræ ſint, ſed multò magis certò conſtat falſas & commentitias fuiſſe: inde tamen nequaquam ſequitur, ſimiliter dubitandum eſſe de veritate ac certitudine doctrinæ Eccleſiæ. Non enim valet conſequentia ab exemplis, cùm ratio eſt diſſimilis. Imò in tali dubitatione ſemper mens certò ſtatuat, vnam tantùm ſemper eſſe & fuiſſe religionem veram, non plures, nec diuerſas. Hanc verò eam eſſe ſolam, quæ in Propheticis & Apoſtolicis Scriptis traditur, gradus teſtimoniorum oſtendunt: de quibus copioſior narratio extat Tom. 2. Declam. Ph. in vita Ambroſij. Summa horum eſt: Quod & ipſa Eccleſiæ doctrina certitudinis ſuæ teſtis eſt locuples, & innumeris ac quotidianis teſtimonijs confirmatur diuinitus. Ipſa ſeſe commendat antiquitate rerum & ſcriptorũ, conſenſu inter ſe perpetuo atque congruentia, & perfectione. Ornatur autem & ſancitur diuinitus miraculis, teſtimonio Spiritus ſancti in ſingulorũ cordibus, conſtantia Martyrum in ſupplicijs, & perpetua cõſeruatione ac propagatione Eccleſiæ, ac pœnis hoſtium.

ARGVMENTVM II.

¶Omnibus tẽporibus inde vſque ab initio mundi & Eccleſiæ, fuerunt etiam impiorum aliqua miracula (vt apud Ethnicos ſæpe ſpectra aliquid denuntiauerunt. Item ſtatuæ locutæ ſunt. Et apud Homerum Calchas prædixit fore, vt decimo anno Troia caperetur. Et Liuius narrat

Tarquinium Priſcum Romanorum regem, ab Accio Nauio augure, tentandæ ſcientiæ cauſa, quæſiuiſſe, an id de quo cogitaret, effici poſſet, quod cùm ille fieri poſſe reſpondiſſet, iuſsiſſe, eum nouacula cotem præcidere. Idque protinus factum, &c.

Quare ſi ex miraculis doctrina iudicanda eſt, dubitari poteſt, vtra ſit vera, Ethnicorúmne an Eccleſiæ.

RESPONSIO.

Tom. 3. oper. fol. 50. in poſtil. Phi. Item, To. 4. decl. 590.

Dupliciter diſcernuntur vera miracula à falſis. Primùm impoſsibilitate. Secundò finibus.

Primùm enim habet Eccleſia quædam priora miracula, quæ Diabolus non poteſt imitari, qualia ſunt reſuſcitatio mortuorum, repreſſi ſolis curſus, partus mulierum, quæ ex natura ſteriles & ſenecta effœtæ fuerunt, partus virginis, conſeruatio hominum in medijs flammis, Prædictio monarchiarum, & alia. Hæc ſunt ſolius Eccleſiæ. & ſunt impoſsibilia Diabolo. Ideo miracula Eccleſiæ anteferenda ſunt Ethnicis, & ſunt certa & firma teſtimonia doctrinæ diuinitus traditæ.

His annumerandum eſt, quòd ſæpe in hiſtoria Euangelica traditur. Eijcere repugnantem Diabolum. Etſi enim Diabolus interdum quaſi colludens cedit etiam præſtigiatoribus & impoſtoribus: Tamen hæc eiectio, quam Chriſtus & Apoſtoli faciunt, diſsimilis eſt. Eijciunt enim repugnantem, non colludentem. Quia toties clamitat Diabolus ſe ante tempus cruciari.

Alte-

Alterum diſcrimen ſumendum eſt à finibus. Finis miraculorum Diaboli eſt regulariter, alicuius erroris aut ſceleris confirmatio. Econtrario finis miraculorum Eccleſiæ eſt confirmatio veri cultus, & conſentit cum verbo iam ante reuelato, de vero cultu, & Filio Dei. At vaticinia Tireſiæ, aut Calchantis, quos fines habebant? Iubebant mactari humanas hoſtias, & confirmabant præſentem idolomaniam. Cùm autem hi errores ſint manifeſti furores, & quidem multa alia vitia Ethnicorum ſtabilierint, ſatis apparet hæc miracula non eſſe diuina. Talia miracula facta ſunt etiam ſub Papatu, in inuocatione mortuorum, vt confirmaretur impietas & error.

Hæc diſcrimina miraculorum diligenter obſeruanda ſunt, vt confirmemus animos noſtros teſtimonijs verorum miraculorum, & diſcernamus ea à præſtigijs. Magna eſt enim Diaboli potentia, & multos offundit errores humanis mentibus: Et omnibus temporibus confirmauit impias ſuperſtitiones prodigioſis quibuſdam euentibus: Ideo muniendi ſunt pij firmis teſtimonijs.

FAllacia eſt à dicto ſecundum quid. Poteſt aliqua miranda opera Diabolus efficere. Sed non omnia miracula Dei imitari poteſt. Deinde non tantùm miracula ſpectanda ſunt, ſed multò magis miraculorum cauſa. Vt igitur Moſes in Aegypto ſuperabat Magos: Sic Eccleſia ſuperat Diabolum dupliciter. 1. Habet quædã propria miracula, quę non poſſunt effici vi vllius creaturæ: ſed tantùm ſunt opera Dei Conditoris, Conſeruatoris & Opitulatoris liberrimi & omnipotentis. Nuſquam legitur in omnib. hiſtorijs exemplũ reſuſcitationis mortuorũ, niſi in hiſtoria Prophetica & Apoſtolica,

Soli Prophetæ, solus Christus, soli Apostoli & eorum discipuli habuerunt hoc testimonium diuinum, vt resuscitarent mortuos. Diabolus, quanquam est Simia Dei, & potens spiritus, tamen nunquam inuitam vllum mortuum reuocare potuit. Sicetsi apud gentes quoque acciderint interdum quædam invsitata: tamen nunquam extra Ecclesiam fuerunt seruationes vniuersales, sicut seruatio Noa, aut liberatio ex Aegypto, aut perpetua conseruatio Ecclesiæ inter tantas procellas. 2. In Ecclesia referuntur miracula non ad stabiliendas scelera, sed ad confirmandam veram agnitionem Dei, consentientem cum verbo Dei antea tradito. At Prodigiosi euentus Ethnici fiunt ad stabiliendos errores, & manifestam turpitudinem in moribus, sicut vniuersaliter Diabolus est homicida, & mendax.

Potest ad hoc discrimen de Finibus adiungi etiam Consideratio de causa efficiente. Miracula Ecclesiæ, fiunt cum inuocatione veri Dei: Ethnica, cum inuocatione idololatrica aut hominum mortuorum, aut portentosæ multitudinis deorum.

ARGVMENTVM III.

¶ Christus Iohan. 4. duriter reprehendit regium petentem miraculosam sanationem Filij: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.

Non igitur miracula rectè numerantur inter testimonia confirmantia doctrinam de Deo, cùm illa non liceat petere à Deo.

RESPONSIO.

In Postil. Phi. Tom. 3. op. 151.

Quando primum editur verbum Dei, adduntur certa testimonia, vt cùm daretur Lex, sunt addita ingentia signa, vt certò constet, doctrinam esse diuinam: sicut

sicut & Patres & Prophetæ testimonia habebant de promissionibus. Postea cùm cõstat verbum à Deo traditũ esse, debemus ipsum verbum anteferre miraculis, adeò vt nec miraculis contra verbum certum credendum sit. Ita in Israel norant promissiones de Messia, & his debebant credere plus quàm miraculis. Sed humana mens negligenter attendit verbum Dei, & magis mouetur signis.

Has tenebras reprehendit Christus, quæ tantæ sunt, vt cum omnia plena sint miraculis, tamen præter hæc flagitemus alia inusitata. Hic ordo rerum, quòd Deus quotannis fœcundat agros, & pascit nos, quod dedit Filium suum pro nobis, qui reuixit ex morte, & regnat, vt nos defendat in continuis periculis aduersus Diabolum, annon hæc sunt ingentia miracula? Quantò autem plus mouentur animi nouo aliquo exemplo, vt curatione morbi alicuius, quàm cæteris multò maioribus & æternis beneficijs? Singuli cogitamus: si Deus mihi adeo familiaris esset, vt fuit Abrahæ, aut Moysi, si similibus testimonijs me quoque confirmaret, tunc verò credere ei auderem.

Hunc ipsum errorem propriè hic reprehendit Christus, & alibi, cum inquit: Generatio adultera signum quærit. Habemus enim certum verbum Dei, iam antea confirmatum miraculis. In hoc vult nos intueri, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et Rom. 15. Vt per consolationem scripturarum spem habeamus.

Hæc doctrina admodum vtilis est, vt discamus vera exercitia fidei, nec quæramus de voluntate Dei extra verbum. Item verè sciamus Deum velle nobis hæc præstare, quæ in verbo promittit, perinde vt præstitit Abrahæ, Mosi & alijs. Quid circumspectas prodigia? quæris inusitata exempla? Quanquam hæc quoque occurrunt

multa ferè singulis, tamen defigito oculos in verbum, & expectes ea quæ in verbo promissa sunt. In his exercitijs discitur, quid sit fides. Et quidem hæc fides impetrat miracula, sicut in historia regij, etsi reprehenditur humana infirmitas, tamen Christus postea addit miraculum, vt ostendat se mederi nostræ infirmitati.

» FAllacia est à non causa vt causa. Item à dicto secũ-
» dum quid. Reprehenditur aulicus petens signum
» ex infirmitate, videlicet præscribens Christo modum
» & tempus sanationis filij. Inde non sequitur: Ergo in vniuersum petitio miraculorum est coniuncta cum peccato. Potest enim esse aliqua petitio miraculi non vitiosa. Qua de re ex consideratione causarum iudicandum est.

1. Nam aliqui legitimo modo petunt miracula, vt ipsorum & aliorum fides confirmetur in re pertinente ad Dei gloriam, vt Moses Exod. 4. Gideon Iud. 6. Dauid Psal. 86. Ezechias, Esai 38. Christus Ioan. 12. Denique omnium temporum Ecclesia destituta præsidio secundarum causarum petit à Deo mirandas liberationes in persecutionibus, vt sint testimonia præsentiæ Dei in Ecclesia, & sigilla veritatis doctrinæ.

2. Alij verò ex infirmitate petunt signa, & suis imaginationibus vitam & vocationem suam regi cupiunt: vt cum Regulus Iohan. 4. vrget Dominum, vt secum descendat prius quàm moriatur filius: Aut cùm non ipsi in calamitatibus tales euentus postulamus, qui nobis dulces & grati sint, quos cùm non impetramus, spreto verbo Dei ex quo de volũtate ipsius erga nos iudicandum erat, incipimus dubitare & timere quadantenus. Hæc infirmitas petens signa, non quæ doctrinam confirment, aut gloriam Dei illustrent, sed quæ nobis sint sonora, cum partim ex diffidentia, partim ex impatientia oriatur, displicet Deo, qui vult nos ipsius voluntati euentus nostros committere, & de gratia Dei iudicare ex promissione Euangelij,

angelij. Et de hoc gradu propriè loquitur dictum Christi: Nisi signa & prodigia videritis, non potestis seu non vultis credere.

3. Sunt etiam nonnulli, qui prorsus ex Epicureo contemtu verbi iam antea diuinitus traditi, vel malitia, vel curiositate quadam noua signa expetunt, & quidem pro suo affectu. Vt cùm Christus miracula faceret prædicta in prophetis de Messia, Pharisæi alia signa quærebant, quibus ostenderet se esse regem politicum. Tales grauius peccant, & hos multò acriùs reprehendit Christus, nominans eos generationem peruersam & adulteram, & pœnas eis minatur. Hoc modo cùm quæritur: An hominibus liceat petere miracula à Deo: causas dissimiles in exemplis diuersis considerare prodest. Iam verò vt non sequitur: Aliqui neglecto ordine diuinitus præscripto petentes signa peccant: Ergo omnis petitio miraculorum coniuncta est cum peccato: sic multò minus sequitur, Deus in iusta petitione signorum offenditur: Ergo miracula ipsa etiam tum quando exhibentur diuinitus, non sunt σφραγίδες aut sigilla confirmantia doctrinam. Nam Deus ipse quoties doctrinam suam, aut nouam aliquam circumstantiam in doctrina patefacit, aut peculiari cum mandato personas certas mittit ad res magnas gerendas: immensa bonitate, vt infirmitati hominum consulat, facta quædam inusitata tanquam testimonia doctrinæ & vocationis addere solet. Talibus miraculis vti ad confirmationem fidei non est peccatum. Imò ideò grauissimè reprehenditur Achas. Esa. 7. quòd oblatum à Propheta signum petere nollet. Et tamen quia Diabolus sæpe imitatur opera Dei, & efficit per pseudoprophetas miracula fallacia, quæ abducunt homines à vera inuocatione Dei ad idola & falsas opiniones: Tenenda est regula: Semper in Ecclesia conferri oportere miracula ad doctrinam prius à Deo traditam, Si enim pugnant miracula cùm doctrina prius à Deo tradita, sunt fallacia, & quidem talia, quæ Diabolus imitari potest, non

propria Ecclesiæ. Hanc regulam Deus ipse tradit Deutero. 13. Præterea & hoc sciendum est, Deum certo consilio, postquam semel confirmauit doctrinam velle nos magis intentos esse in ipsum verbum, quam in spectacula iucurrentia in oculos: ideoque non quotidie ostendit noua miracula.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Petens necessaria non est reprehendendus.

Iudæi petentes confirmationem doctrinæ Christi per signa, petunt necessaria. Sic enim clamant Iohan. 6. Quod signum facis, vt videamus, & credamus tibi? Et Matthæi 12. inquiunt: Præceptor volumus ex te signum videre.

Ergo iusta fuit ipsorum petitio: neque nunc sunt reprehendendi, qui dicunt se doctrinæ repurgatæ nostris temporibus assentiri non posse, nisi videant edi miracula à doctoribus nostrarum Ecclesiarum.

RESPONSIO.

In enarra. in Matth. Tom. 3. oper. 466.

„ *Necesse est teneri hanc regulam: Semper prius*
„ *quærendum est de doctrina, & videndum an consentiat*
cùm scripturis antea traditis. Postea iudicandum est de
signis. Hanc regulam nos nunc oportere sequi, non dubium est. Et debebant tunc quoque tempore Christi & Apostolorum videre omnes qui audiebant doctrinam Christi, an congrueret cum Prophetica. Sed ipsi, omissa collatione doctrinæ, postulant signa, Et quanquam fiebant multa signa, tamen credere nolebant, quia tenebant

bant in mente contrariam opinionem de Messia, pugnantem cùm Prophetica descriptione. Talem Messiam volebant, qui eos ditaret, & opibus ac voluptatibus eos cumularet. Talia etiam signa petebant, vt expulsis Romanis traderet ipsis imperium.

Duo sunt igitur crassa peccata Iudæorum. Primum, quòd doctrinam Propheticam negligunt: secundum, quòd petunt signa, qualia ipsis placebant, nec volebant moueri signis, quæ antea facta erant, & quotidie fiebãt. Non vult autem Deus nos ipsi modum & formam signorum proponere, vt si quis nunc dicat: Nolo credere, nisi Deus hoc signum faciat, vt mihi det regnum Turcicum. „ „ „ „

Tales imaginationes sunt impiæ, & his scriptura affirmat tentari Deum, debemus enim petere iusta, non prohibita à Deo. Petere autem res alienas, est prohibitum à Deo: Item petere non necessaria, sed curiosa.

Propter hæc peccata obiurgat Christus Iudæos, & duriter respondet Matth. 12. Nominat eos genus adulterum & prauum: id est, genus, quod non seruat Deo fidem, sed defecit à Deo, sicut adultera à viro, & tantùm petulanter ludit gloria tituli, quòd sit populus Dei: sicut nunc Papa & Cardinales, verè sunt adulteri, defecerunt à Deo, & tantùm ludunt petulanter gloria tituli Ecclesiæ.

Minor in hoc argumento neganda est. Iudæi non petebant necessaria. Quia tota petitio Iudæorum erat cupiditas regni, & non necessariarum rerum curiositas. Non enim de doctrina Christi soliciti erant, quam ex collatione Scripturæ iudicare debebant & poterant: sed potius signa expetebant, quæ ipsis placerent, & cum ipsorum imaginationibus con-

gruerent. Et accedebat talis malitia, vt etiam cùm viderent ingentia miracula à Christo fieri, tamen non crederent doctrinæ ipsius.

ARGVMENTVM V.

¶ Christus Matth. 12. inquit: Non dabitur huic generationi aliud signum, quàm signum Ionæ.

Sed idem Christus Iohan. 10. inquit ad Iudæos: Multa præclara opera demonstraui vobis ex Patre meo.

Pugnant igitur hæc Christi dicta inter sese.

RESPONSIO.

In enarra. in Matth. Tom. 3. o-per. 467.

Etsi multa & magna miracula Christus fecit in populo Iudaico: tamen ideo dicit: Non dabitur aliud signum quàm signum Ionæ. Quia hoc est principale signum & omniũ summum, resurrectio Christi ex morte. Et hoc præcipuè confirmat omnes credentes. Nam hoc signum quòd Christus post mortem reuiuiscit, sicut Ionas, manifestè ostendit omnipotentiam Christi, Item inchoat vitam æternam coram Ecclesia, quæ tunc fuit, coram Maria & Apostolis.

Sed est & altera responsio, quare dicat: Non aliud signum dabitur, scilicet, Quanquam multa facio, tamen non aliud pertinebit ad istos incredulos, nisi signum Ionæ, id est, nisi deletio huius regni quæ erit testimonium, quòd non fuerim pseudopropheta. Nam Ionas fuit signum Niniuitis. Qui cùm prædicaret apud ipsos, allegauit testimonium vocationis suæ liberationem ex ceto. Et prædicatio fuit efficax.

Item

Item minatus est eis exitium, quod etsi dilatum est propter pœnitentiam, tamen post aliquot annos recepta idololatria, perijt Niniue.

Pertinent ad ignorationem Elenchi, aud Dialecticos ἀντινομίαν, id est, cùm dicta Legum, aut Scripturæ recitantur, quæ prima specie videntur esse contraria: vbi tamen insignis aliqua circumstantia contradictionem tollit. Ita in hoc argumento ignoratio Elenchi est. Cùm enim inquit Christus: Non dabitur huic generationi signum a iud; Nequaquam dicit, se nulla signa in isto populo præterea facturum esse: sed promittit signum omnium summum de resurrectione sua, & de excidio huius populi. Hoc significat cùm ait, Dabitur ei signum Ionæ Prophetæ, quasi diceret, Habebunt signum, sicut tunc Niniue. Ego post mortem resurgam, sicut Ionas ex ventre ceti liberatus, velut ex media morte in vitam reuocatus est. Deinde hic populus propter incredulitatem delebitur. Ita monstrat in historia Ionæ insignem imaginem propositam esse prædicationis, passionis, & resurrectionis Christi, & vltimi excidij Hierosolymæ, quæ deleta est annis circiter 40. post ascensionem Christi ad cœlos.

DE DEO.

ARGVMENTVM I.

¶ Omnis inuocans Deum conditorem cæli & terræ, inuocat verum Deum.

Ethnici & Mahometistæ inuocant Deum conditorem cœli & terræ.

Ergo Ethnici & Mahometistæ inuocant verum Deum.

RESPONSIO.

In enarra. Symb. Nicen. Tom. 2. ope. 211. Item, To. 1. op. 394. In locis Theol. de Deo. To. 1 oper. 150. In dial. li. 4. de modis soluendi arg. vitiosa.

INuocans Deum conditorem, verum Deum inuocat, videlicet agnoscens, & inuocans Deum conditorem, patefacientem se verbo suo & misso Filio. Nam Deus sic & non aliter agnoscendus est, quàm sicut ipse se patefecit. Ethnici & Turci etsi nomen Dei retinent, & gloriantur se inuocare illum Deum, qui condidit cœlum & terram: tamen vagantur animis, nec volunt audire conditorem, patefacientem se verbo suo, & misso Filio. Aberrant ergo à vero conditore, & fingunt aliquid esse creatorem & Deum, quod neque Deus, neque Creator est, Negant enim hunc esse Deum conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, crucifixi pro nobis, mortui & resuscitati: Negant Filium ex substantia patris genitum: negant Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere. Ita errant primùm de essentia Dei. Deinde non inuocant Deum fiducia Filij Mediatoris. Errant igitur & de voluntate Dei, nec sciunt propter Mediatorem homines recipi à Deo. Cumq; ignorent promissiones Dei, manent in perpetua dubitatione, nec possunt statuere se recipi à Deo & exaudiri. Qui verò manent in ea dubitatione, non inuocant, sed fugiunt Deum, & ruunt vel in contemtum Dei, vel in æternam desperationem.

SOlutio huius argumenti, commonefactio est vtilissima, primùm de vsu doctrinæ de Deo, quæ ad exercitia inuocationis transferri debet, non ad speculationes otiosas, quas multi cumularunt sine modo in

do in commentariis Longobardi. Deinde & de discriminæ veræ inuocationis in Ecclesia, & aliarum impiarum inuocationum. Sunt enim duæ præcipuæ differentiæ: altera est de essentia Dei, altera de voluntate. Ethnici & alij impij negant hunc esse Deum, qui se patefecit misso Filio, æternum Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Aberrant igitur à vero Deo, & alloquuntur aliud quiddam commentitium, quod non est verus & patefactus Deus: sicut scriptum est: Vos nescitis, quod adoratis: Deinde ignorant promissiones & Mediatorem: ideóq; manent in perpetua dubitatione, & ignorant, an & quare exaudiantur. Inuocatio verò sine fide & oppressa dubitatione, inanis est. Ecclesia verò alloquitur verum Deum patefactum illustribus testimoniis, & agnoscit eum, sicut se patefecit: Scit etiam promissiones & agnoscit Mediatorem, & scit Deum velle inuocari & exaudire fiducia Mediatoris. Hoc igitur duplici discrimine considerato, facile apparet in maiore esse fallaciam secundum quid. Non enim satis est, intueri opus creationis, sed mens in inuocatione cogitare debet patefactiones Dei, & alloqui hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio, & simul tres personas intueri debet, & fiducia Mediatoris petere gratiam & alia beneficia.

Deinde quod ad Minorem attinet, per inficiationem respondendum est, quia Ethnici, Turcæ & alij impij non inuocant Deum conditorem, sed fingunt sibi idolum quoddam, quod non est verus Deus. Negant enim hunc esse Deum conditorem, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, & cum Filio & Spiritu sancto mundum creauit, & se illustribus testimoniis patefecit. Præterea negant Filium Mediatorem esse. Non igitur rectè inuocant, neque certi aliquid de exauditione statuere possunt.

ARGVMENTVM II.

¶ Vnum & verum sic conuertuntur, vt plus

vno verum esse non possit.

Definitio Dei tradita à Platone: Deus est mens æterna, causa boni in natura, est vera.

Ergo frustra quæritur alia definitio Dei.

RESPONSIO.

In enarra. Symb. Nicen. Tom. 2. oper. In Io. Th. Tom. 1. ope. 150. a.

Adeo eruditè composita est hæc Platonica descriptio vt difficile sit iudicare parum exercitatis, quid desit. Sed admonendi sunt imperitiores, Platonicam descriptionem mutilam esse, quia tantum eas proprietates continet, quæ vtcunque naturali luce de Deo sine patefactione diuina cerni possunt. Videt enim ratio naturalis vtcunque, Deum esse substantiam sine mole corporea, intelligentem, sapientem, veritatis amantem, iustam, beneficam, castam, vindicem atrocium scelerum, causam ordinis & bonarum rerũ in hac vniuersitate mundi: Sed nondum satis est, sic agnoscere Deum. Opus est igitur alia integra Dei definitione: sicut à Deo monstrata, & per Prophetas, Christum & Apostolos propagata est, in qua mõstrantur nõ modò proprietates

1. *Dei, sed etiam personarum discrimina, & opera, quibus*
2. *se Deus patefecit in genere humano, & ex quibus*
3. *voluntatem suam vult agnosci. Talis definitio hæc est*

In exam. Theol. *rectè composita: Deus est essentia Spiritualis, intelligens, æterna, alia à creaturis omnibus, verax, bona, iusta, casta, misericors, benefica, liberrima, immensæ sapientiæ & potentiæ, irascens peccatis, Pater æternus, qui Filium imaginem suam ab æterno genuit, & Filius imago Patris coæterna, & Spiritus sanctus procedens à Patre, & Filio, sicut patefacta est diuinitas, certo*

certo verbo, & testimonijs diuinis, quòd Pater æternus cum Filio & Spiritu sancto condiderit, & conseruet cœlum & terram, & omnes creaturas, & adsit omnibus creaturis, quo ad conseruationem, & colligat sibi in genere humano Ecclesiam propter Filium, & per eum, & sit iudex iustorum & iniustorum,

HOc argumentum monet de collatione philosophicarum descriptionum Dei, cum definitione, quæ ex sacris literis desumitur. Philosophicæ descriptiones sunt mutilæ. Quia tantum attributa Dei seu proprietates in Deo essentiales vtcunque recitant. At sacræ literæ docent etiam de numero & ordine seu discrimine personarum in Deo: nec tantum de creatione & conseruatione creaturarum, quæ est actio Dei generalis monent, sed etiam de collectione Ecclesiæ, quæ complectitur omnia beneficia Filij & Spiritus sancti, & de finali liberatione piorum post vniuersalem mortuorum resuscitationem. Est igitur in argumento fallacia à dicto secundum quid. Nam etsi vera est definitio Platonis, tamen non est integra.

ARGVMENTVM III.

¶ Accidentia sunt res mutabiles.

Sapientia, iustitia, veritas, bonitas, & aliæ virtutes sunt accidentia, & sunt in Deo.

Ergo istæ virtutes in Deo sunt res mutabiles.

RESPONSIO.

In locis Theol. de Deo. To. 1 oper. 105. b.

Virtutes, quas scriptura Deo tribuit, non sunt accidẽtia in Deo, sicut in homine seu Angelo, Sapientia, iustitia, bonitas sunt accidẽtia, & res mutabiles: sed si-

cut potentia Dei non est discernenda ab essentia Dei, nec aliud est: Sic non sunt aliæ res, sapientia, veritas, iustitia, bonitas Dei, sed sunt ipsa essentia, quæ est quiddam viuum, per se subsistens, intelligens, æternum, omnipotens, bonum, iustum, &c.

MInor in hoc argumento explicanda est per distinctionem: in creaturis rationalibus virtutes istæ sunt accidentia. Sed in Deo sunt proprietates essentiales, non accidentales, id est, nec distinctæ, nec separabiles vllo modo ab essentia diuina, sicut in angelis & hominibus virtutes constat esse res, & sua natura mutabiles, & separabiles à substantiis illorum. Congruunt cum hac respõsione dicta Augustini, quæ apud Lombardum recitantur lib. 1. distin. 8. & 19. In Dei substantia non est aliquid, quod non sit substantia, quasi alia ibi sit substantia, aliud quod accidit substantiæ, sed quicquid ibi intelligi potest, substantia est. Item, Non est Deo aliud magnum esse, aliud Deum esse. Item, Inconcussi teneamus, quòd vnum & idem est essentia diuina, Dei æternitas, potentia, magnitudo, & tamen consueuit scriptura, hæc & his similia quasi distinctè ponere.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Contradictoria non possunt simul esse vera.

Ergo & hæc dicta non possunt simul vera esse, Exod. 33. Loquebatur Dominus ad Mosen facie ad faciem: & Iohan. 1. Deum nemo vidit vnquam. Item, Iohan. 6. Non quòd Patrem quisquam viderit, nisi is qui est ex Deo, hic vidit Patrem.

RES.

RESPONSIO.

In eodem cap. 33. Exodi disertè dicitur: Non poteris videre faciem meam, quia non videbit me homo & viuet. Quare ipse Moses testatur se non vidisse faciem, sed loquentem Deum coràm audiuisse. Textus enim ait: Loquebatur facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum, id est, coràm & clara voce, non obscura specie, vel somnio, sicut eadem sententia repetita est in Numeris cap. 12. vbi his verbis vtitur: Ore ad os ei loquar. In enarra. cap. 1. & 6. Iohan, Tom. 3. oper. 613. & 686.

Porrò infinitum discrimen est inter vocem patefactam, & inter notitiam, quæ intuetur substantiam Dei: Item quæ nouit voluntatem arcanam in Deo, quæ ignota est omnibus creaturis, ante patefactionem. De hac notitia loquuntur verba Baptistæ & Christi. Sic enim inquit Baptista: Nemo vidit Deum, id est, hanc arcanam voluntatem Dei, de saluando genere humano, & de modo saluationis, nemo vidit, priusquã Filius enarrauit, qui est in sinu Patris, id est, intima Patris penetrans, & perfectè introspiciens Patrem. Nam propria hac Filij gloria est, perfectè nouisse Patrem, quia est imago Patris. Ideo alibi dicitur: Nemo nouit Filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit nisi Filius, & cui Filius voluerit reuelare. Sic & Christi dictum Ioan. 6. intelligatur: Non quòd Patrem quis viderit, nisi qui est ex Deo. Insigne dictum est, & oppositum reuelationi Mosis, propter quam valde se efferebant Iudæi. Sed Christus testatur se longè supra Mosen esse. Moses audiuit vocem patefactam. Sed Filius introspicit substantiam Patris, & lucet in eo decretum voluntatis diuinæ de miranda saluatione generis humani. Hanc voluntatem de saluãdo genere humano, etiam Moses didicit ex promissioni-

bus, quas acceperat à Patribus, nec primus protulit eas ex aſpectu, quo vidit Deum. Nec opus eſt hac diſputatione, quomodo aut quantum Moſes viderit. Certè illam inſcrutabilem voluntatem nec Angeli, nec Patres, nec Moſes videre potuerunt, antequam per Filium voce promiſſionum patefacta eſt. Vnius Filij legatio hæc eſt, de hac ingenti miſericordia primùm concionari, & hoc arcanum decretum de ſaluatione, de abolendo peccato, de vita æterna patefacere,

SAEpe hoc quæritur, Cur Baptiſta & Chriſtus dicant: Deum nemo vidit vnquam, cùm tamen Moſes viderit. Sed hæc eſt ſimplex & propria interpretatio horum textuum. Non dicit hiſtoria Exod. Moſen
» vidiſſe faciem Dei, cùm Deus ipſe dicat: Non videbit
» me homo & viuet: ſed hoc affirmat: Dominum locu-
» tum eſſe cum Moſe de facie ad faciem. Sic igitur accipienda ſunt verba de Moſe, vt intelligantur de voce patefacta, ſeu de colloquio Dei, in quo Deus coràm ſe ei reuelauit, tradens ei vocem & mandata ſua. At dicta Baptiſtæ & Chriſti loquuntur de conſpectu totius eſſentiæ diuinæ. Item præcipuè loquuntur de notitia arcanæ voluntatis in Deo, de ſaluatione hominum, quæ prorſus poſita eſt extra conſpectum omnium creaturarum. Vident Deum Angeli, videlicet in luce quadam naturæ ipſorum accommodata, ſed non comprehendunt totam eſſentiam Dei: Neque hoc arcanum decretum nouerunt, priuſquam Filius protulit, quòd voluerit Deus reſtituere genus humanum, & quomodo placari iram ſuam voluerit. Sic Adam, Eua, Abraham, Moſes, & alij Prophetæ didicerunt hanc voluntatem Dei ex promiſſionibus, quas Filius Dei initio tradidit, & quas poſtea natus ex virgine illuſtrauit. In argumento eſt ignoratio Elenchi, & violatur regula: In propoſitionibus oppoſitis eadem ſint extrema, de eodem loco & tempore, reſpectu

ſpectu eiuſdem, & ſine vlla ambiguitate intellecta. Quid autem in genere ſentiendum ſit de viſione eſſentiæ Dei, vtrum ſancti, quibus ſe Deus patefecit, naturam ipſam diuinam, qualis per ſe eſt, vel in imagines quaſdam captui ipſorum accommodatas viderint? Item: an homines beati Deum in eſſentia ſua viſuri ſint in tota æternitate, & quomodo Angeli Deum videant: De eo commonefactiones extant paſſim apud Athanaſium, Nazianzenum, Baſilium, Theodoretum, Auguſtinum, & alios, &c.

ARGVMENTVM V.

¶ Scriptura Deo tribuit oculos, aures, os, manus, pedes, brachium, &c.
Non eſt igitur Deus ſpiritualis eſſentia.

Hoc argumentum pueriliter ita proponebatur ab Anthropomorphitis, qui & Audæi ab authore ſectæ dicti ſunt.

Oculi, aures, os, brachium, manus, pedes, &c. ſunt aliquid corporeum.
Deus habet oculos, aures, os, manus, brachium, pedes, &c,
Ergo Deus eſt corporeus.

RESPONSIO.

Nego conſequentiam, & ratio eſt. Quia eſt fallacia æquiuocationis. In maiore propriè dicitur de membris, qualia ſunt in corporibus animantium. In minore membra illa tribuuntur Deo metaphoricè, vt brachium ſignificet potentiam, ſeu robur, ſeu efficaciam, &c. Cogitandum eſt autem, quale delirium fuerit illorum, qui Deo figuram corporis humani tribue

In 4. lib. Dial. de fallac. in dict. “

In enarra. ca. 4. Ioh. Tom 3. oper. 660.

runt. Id refutatur hoc dicto Christi: Deus est Spiritus, id est, essentia Spiritualis, sine mole corporea. Sed id declarandum est: Cùm nominat Spiritum, intelligit essentiam quandam intelligentem, ac volentem, liberam sapientem, bonam, iustam, fortem, viuificatricem, iudicãtem, &c. Hi effectus vtcunque indicant & describunt naturam spiritualem. Sicut humanam mentem, quæ est effigies Dei, vtcunq; indicant nostra ratiocinatio, voluntas, electio libera, discrimen honestorum & turpium, seu virtutum & vitiorum, vita & motus. Cogitatione ergo vtcunque æstimanda est natura Spiritus, non fingenda est moles corporis.

DE Anthropomorphitis copiosa narratio extat apud Epiphanium hæresi 70. In argumento verò æquiuocatio inde oritur: quia mutatur genus prædicationis. Hominibus & cæteris animalibus tribuuntur membra prædicatione regulari, sed cum Deo scriptura tribuit membra corporea, non est regularis, sed figurata prædicatio. Hanc Dialecticam solutionem illustrant multæ insignes sententiæ, quæ extant in primo dialogo Athanasij. Et rectè Damascenus scripsit: Quæcunque de Deo more corporeo dicuntur, Symbolicè dicta sunt. Habent autem sensum profundiorem. Quia natura diuina simplex est & sine figura. Exempla huius regulæ plurima recitat Damascenus in fine lib. 1. orthodoxæ fidei, quæ inde assumi possunt.

ARGVMENTVM VI.

¶ Iustitiæ maximè proprium est punire delicta.

Non est igitur Deus iustus, cùm remittit peccata hominibus.

RES-

RESPONSIO.

Cum dicitur Deus remittere peccata, semper meritum Filij Dei complectendum est, quia in illo arcano de generis humani restitutione, mirando Dei consilio, temperata est misericordiæ iustitia. Immensæ misericordiæ est, quòd diuinitas non vult perire in totam æternitatem genus humanum, sicut in tota æternitate abiecit diabolos: sed tamen vt iustitiæ Dei quoque satis fieret pro nostro peccato, ordinata est pœna, quæ est obedientia Mediatoris innocentis. Hæc est meritum & pretium, propter quod & peccata nostra remittuntur, & nos Deo placemus seu accepti sumus, cùm fide id accipimus. In hac restitutione generis humani quatuor opera immensæ misericordiæ concurrunt, videlicet, quòd recipimur propter Filium: & vt recipi possimus, liberrimè mittitur Filius: constituitur Mediator & Propiciator: & idem Filius efficax est, profert Euangelium, colligit Ecclesiam, viuificat credentes: postea resuscitat ad vitam æternam. Horum mirabilium consiliorum & operum causas, & modum in tota æternitate contemplabimur in Deo. Nunc vt infantes & lactantes vtcunque initia huius doctrinæ cogitare nos necesse est. Agnoscenda ingentia beneficia Dei, & accipienda fide, & gratiæ agendæ sunt Deo mittenti Filium, & Filio passo pro nobis, & resuscitato, ac colligenti æternam Ecclesiam, & doceri ac confirmari nos petamus, & clamemus assiduè: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meæ.

In enarra. 3. c. ad Ro. Tom 4. per. fo. 90

NEganda est consequentia in hoc argumento. Quia fallacia est à non causa vt causa. Non enim remittit Deus peccata quasi quadam futilitate iram abijciens, sed recipit genus humanum propter

Filium Mediatorem, qui satisfecit iustitiæ Dei, & æquiualens λύτρον pro nostris peccatis persoluit. Nec propterea peccata placent Deo, sed manet hæc vox, & est æterna: Non Deus volens iniquitatem, tu es: sed ingentem iram suam effudit in Filium, qui pro nobis intercesit, & persoluit pœnam. Hoc pretio intercedente recipimur. Qui autem non confugiunt ad hunc Filium, hi manent condemnati & pereunt.

ARGVMENTVM VII.

¶ Iustitia Dei est immutabilis.
Iustitia Dei est vt inobedientes pereant.
Ergo immutabiliter perire debuit genus humanum post lapsum.

RESPONSIO.

In enarra. 3 cap. ad Rom. & arg. eiusd. epistolæ Tom. 4. oper. fol. 90. & 40. Item in Chr. Phi. Tom. 5. oper. 15.

Sæpe repetendum est cogitatione hoc argumentum primorum parentum qui post lapsum ante editam promissionem in sensu iræ Dei, non aliter ratiocinari poterant. Sic enim cogitabat Adam, cùm Deus sua voce ipsum accusaret: Iustitia Dei immutabilis est punire & abijcere inobedientes. Ego non obtemperaui, & fui horribiliter ingratus Deo, cùm adeò dilexerit hanc naturam, vt in eam transfuderit sua summa dona, & fecerit eam imaginem suam. Ego & destruxi hoc opus Dei, & abieci tanta dona, & excussi habitantem in me Deum. Ergo necesse est me vicissim abijci. Huius argumenti solutionem nulla creatura norat, sed Filius Dei intercedens pro nobis, & sese offerens ad pœnam, profert & ostendit huius argumenti solutionem, & docet quomodo congruant misericordia & iustitia. Etsi enim

enim verissimum est, iustitiam Dei immutabilem esse, & Deum verè & horribiliter irasci peccatis: tamen Filius Dei sic respondet: vel Adam punietur, vel alius me deprecante. Scilicet EGO ipse persoluam, assumta humana natura, cuius pœna erit æquiualens pretium pro genere humano. Hæc piè & reuerenter cogitanda sunt, vt quantum malum sit peccatum, consideremus. Rursus etiam vt beneficia Dei magnifaciamus.

SVmtum est hoc argumentum ex lege. Nec potuit Adam post lapsum ratiocinari, Deum aliud velle nisi iuxta legem, videlicet homines perituros esse. Neque vlla creatura huic argumento respondere potuit, præsertim cùm iam confirmatum esset hoc argumentum exemplo diabolorum, qui propter inobedientiam erant abiecti à Deo in æternos cruciatus. Sed Filius Dei responsionem ostendit prolata promissione de semine mulieris contrituro caput serpentis. Is tali dispensatione rigorem legis declarauit: Iustitia Dei est, vt inobedientes pereant, videlicet, nisi satisfiat iustitiæ Dei, pœna deprecantis Filij pro genere humano, & in sese iram inenarrabili misericordia deriuantis. Hac promissione audita, Primi parentes, qui alioqui extincti fuissent terroribus mortis, rursus senserunt se recipi à Deo, & reddi sibi vitam. Hoc primum fuit miraculum post creationem rerum, quòd Deus morituris opitulatus est sine causis secundis, quòd ostendit, se Ecclesiam collecturum & conseruaturum esse etiam extra illum ordinem, quem antea condiderat. Sed res fuit magis miranda, quòd in illa arcana deliberatione Deus propter intercessionem Filij mitigauit rigorem iustitiæ & decretum fecit de recipiendis hominibus, cùm facilius sit Deo dispensare de ordine instituto in natura rerum, quàm de seueritate legis suæ aliquid remittere.

ARGVMENTVM VIII.

¶ Solus Deus est bonus. Matth. 19.
Ergo reliquæ creaturæ non sunt dicendæ bonæ.

RESPONSIO.

In enarra. 3. cap. Ro. Tom. 4. oper. 82. Item, in defin. appell. The. Tom. 1. oper. 357.

Solus Deus est bonus, scilicet origine, perfectione, & causa. Est enim ipse fons bonitatis. Deinde est perfectè bonus, videlicet, essentia sapiens, æterna, omnipotens, volens talia, qualia in lege sua præcepit: Denique est causa boni, id est, sapientiæ, iustitiæ, lætitiæ, & ordinis in creaturis. Interea tamen & hæc propositio vera est: vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valde bona, id est, conformia sapientiæ Dei, singula suo gradu, sicut condita erant à Deo. Si quis non abhorret à vocabulis, quibus in scholis, docendi causa vtimur, is non absurdè respondere poterit: Dictum Christi loqui de perfecto seu increato bono: Nullus est bonus, nisi vnicus, qui est Deus. Dictum verò in Genesi loqui de bono creato, quod est creata conuenientia in creaturis cum mente diuina, omnia intelligente & ordinante. Estque sapientia, iustitia & lætitia in natura intelligente, & ordo in vniuersa natura institutus à Deo.

IGnoratio est Elenchi. Recitantur hæc dicta tanquam pugnantia: Nemo bonus nisi vnus, videlicet Deus. Et, Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona. Sed non est vera contradictio. Quia prius dictum loquitur de bono increato, cui præcipuè ac propriè competit appellatio boni, respiciendo ad originem, perfectionem & causam boni. Nam solus Deus bonitatem suam ex sese habet ab æterno, nec aliunde eam accipit, sicut nec essentiam suam ab alio habet. Deinde ipsissima bonitas est, atque adeo solus infinitè bonus est. Postremò quicquid boni est in creaturis, id ipse efficit & conseruat in eis. Alterum dictum loquitur de bono creato, quod est conuenientia cum mente diuina, sic ordinante, videlicet in natura intelligente sapientia, iustitia & lætitia: & in natura vniuersa ordo. Athanasius Dialogo 1. similiter ad hanc obiectionem respondet: Deus, inquit, non est bonus participatione bonitatis, sed est ipsamet bonitas: homo verò bonitatis participatione bonus est. Ita & Angeli participatione boni sunt, non natura. Denique condita res omnis Deo digna, & est & dicitur bona ob participationem. Deus verò qui bonus est natura, ipsamet bonitas.

ARGVMENTVM IX.

¶ In Deo non sunt organa affectuum, quia Deus est Spiritus.
Non suntigitur in Deo affectus.

RESPONSIO.

In lib. 1. Ethic. & lib. de anima. tit. de affectib. Itē Tom. 3 dec. 424.

Ridiculum esse videtur Stoicis, tribuere Deo iram, amorem, misericordiam. Nec nos satis perspicimus quales sint hi motus in essentia Dei placidissima: sed tamen verissimum est, Deum seriò & horribiliter irasci peccatis. Et de amore suo erga Filium vox æterni Patris expressè ita dicit: Hic est Filius meus dilectus, quo delector, id est, quem intuens vera & ingenti lætitia afficior. Testatur & Psalm. 103. Deum vero amore complecti homines receptos in gratiam propter Filium, & affici misericordia in calamitate suorum: sicut Pater miseretur

filiorum: ita Dominus timentium se. Imò propter hanc causam inditæ sunt στοργαὶ humanæ naturæ, vt sint commonefactiones de amore Dei erga Filium & erga nos. Hæc cùm sint verissima, remoueamus carnales imaginationes de organis, quæ non sunt in natura spirituali. Multa agit Deus sine organis gignit filium ab æterno sine matre: ita & lætatur & irascitur sine organis corporeis. Qui verò fascinati sunt Stoicis opinionibus, vt existiment Deum nec ira nec gratia moueri, hi delent vniuersam doctrinam legis concionantis de ira Dei, & Euangelij, quod promittit gratiam & misericordiam Dei propter Filium.

HOc argumentum Stoicum simile est argumento Turcico: Deus non habet vxorem. Ergo non potest gignere Filium. Sed neganda est consequentia, quia etsi in hominum natura Deus condidit instrumenta affectuum, & de hominibus verum est; non posse fieri generationem sine commixtione vtriusque sexus: tamen aliter hæc fiunt in Deo, qui est essentia Spiritualis. Et quanquam nos modum illum, quo in Deo sunt modus affectuum, nondum in hac vita penitus intelligimus: tamen scripturæ testimonijs confirmati certo statuamus, ardentem & immensum amorem esse Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sciamus etiam genus humanum verè amari à Deo, & Deum verè irasci sceleribus, verè dolere, quòd multi horribili contumacia vltro sibi exitium accersant. Hæc non sunt in Deo simulata: imò se, id est, suæ naturæ & suorum affectuum imagines nobis impressit. Imago diuini amoris est erga nos hæc ipsa στοργὴ intimis penetralibus cordis insita, qua tuos natos amas. Hanc quoties sentis, cogitato imaginem te diuini amoris circumferre, ac verè amari abæterno Patre & Filium & nos, quorum naturam Filius induit, qui huius paterni amoris erga nos testis & pignus est.

ARGV-

ARGVMENTVM X.

¶ In omnibus affectibus multum est ineptiarum & confusionum.
Non cadunt autem in Deum ineptiæ.
Ergo affectus non sunt tribuendi Deo.

RESPONSIO.

Remoueamus hæc Stoica, & non solùm ex scholis explodamus sed deleamus ex pectoribus nostris, amorem, iram, odium, dolorem, furores esse: Deum esse mentem quietam, non obnoxiam his ventis stultarum perturbationum. Fit enim per accidens, quòd in nobis stultitia affectibus admixta est. Quia si natura humana non esset deprauata, esset in ea verum incendium bonorum affectuum, congruens cum Lege Dei: & talis fuit natura in Filio Dei nato ex virgine etiam in hac vita mortali, & in nobis in cœlesti vita talis erit natura, vt affectus congruat cum lege Dei, & sint sine vitio. At postquam natura deprauata est, verum est, in nobis stultitiam affectibus mixtam esse, & magnas esse confusiones. Etsi enim aliqui affectus suo genere boni in natura hominum sunt reliqui: tamen multi vagabundi motus aberrantes à lege Dei, simul sunt in corde, vnde ingens fit confusio affectuum, & multi affectus per se vitiosi, bonis miscentur. Item, boni fiunt vitiosi, quia non reguntur ordine, vt multi homines magis amant suam vitam vel voluptates suas quàm Deum. Hæc multiplex confusio non fuit in natura hominum integra. Sed propterea effunditur Spiritus sanctus in corda credentium, vt bonos motus in eis restituat, & puriores reddat.

Tom. 3. Decl. 624. Item lib. 1. Ethic. & lib. de anima. tit. de affect.

IN Maiore est fallacia accidentis. Distinguendum est enim inter affectus, quales initio fuerunt conditi in natura hominum, & quales nūc sunt post lapsum. Nam si Adam retinuisset naturæ suæ integritatem: dulcissima harmonia fuisset legis diuinæ, notitiarum in mente hominis, appetitionum in volūtate affectuum in corde, & actionum omnium in membris externis. Sed nunc turbata hac harmonia multi affectus in nobis per se vitiosi sunt, qui pugnant cum lege Dei, vt inuidia, ἐπιχαιρεκακία. Aliqui verò quanquam suo genere boni sunt, vt σοργαὶ φυσικαὶ: tamen pec accidens fiunt vitiosi, quia aut sunt in non renatis, & prorsus non reguntur ipso Spiritu sancto, aut in renatis in hac imbecillitate aliquid contagij retinent. Inde verò nequaquam sequitur, quia in nobis post lapsum multa vitia & ineptiæ admixtæ sunt, propterea Deo affectus adimendos esse, quia ingens discrimen est inter naturam iustissimam & optimam, qualis est Deus, in quo affectus sunt sine vitio: & inter naturam hominum, qualis facta est post lapsum.

DE TRIBVS PERSONIS DIVINITATIS.

ARGVMENTVM I.

¶ Non potest esse certitudo vlla, vbi confusio fit numerorum.

Scriptura aliâs vnitatem, aliâs trinitatem de Deo prædicat,

Ergo nulla est doctrinæ de Deo certitudo.

RESPONSIO.

Diligenter considerandæ sunt hæ regulæ. Quoties diuinitas

diuinitas intra se describitur, discernuntur tres personæ: sed cùm nomen Dei opponitur creaturis, mentio fit vnius æternæ essentiæ. Non igitur pugnant inter se Scripturæ dicta rectè distributa, cum alia loquantur de vna essentia diuina, alia de personis in diuinitate distinctis. De vnitate essentiæ diuinæ dicitur, Deuteron. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus vnus est. In Deuter. 32. Videte, quòd ego sim solus, & non est alius præter me. Et similia testimonia passim multa in Prophetis extant. De distinctione autem personarum diuinitatis expressè docet præter alia testimonia multa institutio Baptismi nostri, quæ nominatim tres personas recenset, & tribuit eis parem potentiam & honorem. Matth. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Hîc disertè nominantur Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Cúmque constet, Patrem & Filium Christum, personas distinctas esse: etiam Spiritus sancti nomine persona distincta significatur. Nam si Spiritus tantùm significaret ipsum Patrem agitantem aut mouentem res, bis nominasset Patrem, & esset ociosa ταυτολογία. Præterea cùm verba illa profiteantur, Patrem esse Deum, esse omnipotentem, esse inuocandum: & ad huius honoris societatem addantur Filius & Spiritus sanctus: necesse est parem potentiam esse: cúmque par sit potentia, sunt ὁμοούσιοι. Quare & Basilius prudenter & grauiter ratiocinatur ex hoc dicto Christi: Patrem, & Filium, et Spiritum sanctum ὁμοουσίους esse: Baptizari nos oportet, sicut accepimus: Credere autem sicut baptizamur: glorificare autem sicut credimus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.

In locis Theol. de Deo. To. 1 oper. 151. a. b,

In enarra. Symb. Nicen. Tom. 2. op. 212.

IDem Argumentum ab Antitrinitarijs & hoc modo proponitur: vnum & plura non possunt vni & ei-

dem tribui. Est autem Deus vnus. Non igitur potest esse trinus. Sed responsio ab Orthodoxis omnib. semper oppositа fuit huiusmodi: Non pugnant hæc inter se: Deus est vnus: & Deus est trinus: cùm diuerso respectu dicantur. Nam vnitas refertur ad οὐσίαν seu essentiam diuinam: Trinitas verò refertur ad ὑποστάσεις seu personas, quæ in vnica & simplicissima essentia diuina subsistunt, & distinguuntur proprietatibus incommunicabilibus. Hæc copiosè & erudite declarantur & illustrantur in primo Dialogo Athanasij de sancta Trinit. Hæ regulæ in primis discendæ sunt, quæ docent quomodo distinguenda sint dicta Scripturæ, quæ vel de vnitate Dei, vel de personarum Trinitate loquuntur. Cùm opponitur Deus creaturis, fit mentio vnitatis. Quia vna est essentia creatrix, & simul tres personæ sunt illa creatrix essentia, sed personæ discernuntur, cùm diuinitas inter sese describitur, & cùm de incarnatione Filij, & de missione Spiritus S. dicitur.

ARGVMENTVM II.

¶ Persona significat habitum, aut officij distinctionem, vt dicimus: Roscium aliâs sustinere personam Achillis, aliâs sustinere personam Agamemnonis: Item, alia est persona consulis, alia serui,

Ergo & in articulo de Deo, cùm vetustas nominat tres personas, non est absurdum intelligi vnum subsistens seu ὑφιστάμενον quod à diuersis relationibus seu officijs, nunc Patris, nunc Filij, nunc Spiritus sancti appellationem accipiat.

RESPONSIO.

Lusit homo fanaticus Seruetus vocabulo Personæ,

& disputans Latinis olim significasse habitum aut officij distinctionem, sycophanticè hanc veterem vocabuli significationem detorsit ad articulum de tribus personis diuinitatis. Sed has impias præstigias fugiamus & execremur, & sciamus in hoc articulo aliter loqui Ecclesiam: & personam nominare hoc quod Græci dixerunt ὑπόστασιν & ὑφιστάμενον. Hæc igitur definitio tenenda est, conueniens huic articulo: Persona est substans, viuum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, & (quod propter articulum de duabus naturis in Christo declarationis causa addi oportet) non sustentatum ab alio. Hic vsus vocabuli personæ, quem necesse est retineri in doctrina Ecclesiæ, facile ab alijs significationibus ex puerili doctrina prædicamentorum discerni potest. Cùm dico: Roscius sustinet personam Agamemnonis. Hîc persona nequaquam significat substantiam, sed nomen relatiuum est, significans esse ordinatum, vt sit imago alterius, vel imitatione alium repræsentet, quasi alius ille sit in conspectu. Cùm Cicero inquit: Magnum est in Repub. tueri personam principis: rursus relatio significatur, videlicet officium & munus gubernatoris Reipub. Sed longe aliter intelligatur vocabulum personæ, cùm dicimus tres esse personas in diuinitate. Hîc enim persona verè significat indiuiduum, intelligens, incommunicabile. Ideo nomen personæ hoc loco collocandum est in prædicamento substantiæ. Prodest autem in omni cogitatione de articulo trinitatis, sæpe mente intueri baptismum Christi, vbi tria ὑφιστάμενα illustri discrimine monstrantur: Pater sonat hanc vocem: Hic est Filius meus dilectus. Filius stans in flumine conspicitur: Et Spiritus sanctus visibili specie demittitur, alas pandens super Christum.

In locis & examine Theol. de Deo. To. 1 oper. 151. b. & 307. In dialo. Phi. lib. 1, de prædic. subst.

Ad hanc monſtrationem accommodentur & firma teſtimonia, quæ narrant quis & qualis ſit Filius. Item quis & qualis ſit Spiritus ſanctus. Et teneantur ſingularum perſonarum deſcriptiones: Pater æternus eſt prima perſona diuinitatis, non nata nec aliunde procedens, ſed quæ ab æterno genuit Filium imaginem ſuam, & à qua procedit Spiritus ſanctus, & quæ cum Filio & Spiritu ſancto omnes alias res creauit, & earum ſubſtantias conſeruat.

Filius æternus eſt ſecunda perſona diuinitatis, quæ eſt ſubſtantialis & integra imago æterni Patris, quam Pater ſeſe intuens & conſiderans ab æterno gignit, quæ nobis quidem ſic manifeſtatur, quòd ſit Perſona, per quam Pater dicit decretum, & totum ordinem creationis & reparationis hominum, & mittitur, vt patefaciat Euangelium, & aſſumat humanam naturam, & ſit Mediator, Redemtor, Iuſtificator & Saluator. Spiritus ſanctus eſt tertia perſona diuinitatis, procedens à Patre & Filio, & eſt ſubſtantialis amor & lætitia coæterna, inter Patrem & Filium. Et nobis ſic manifeſtata eſt, quòd mittatur in corda credentium, vt tales motus, amorem & lætitiam acquieſcentem in Deo in eis accendat, qualis eſt ipſe, ſicut 2. Timoth. 1. expreſſe ſcriptum eſt: Non dedit nobis Spiritum timiditatis, ſed roboris, dilectionis Dei & caſtificationis.

FAllacia eſt æquiuocationis in hoc argumento, impingens in regulam, Talia ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe à ſubiectis. Aliter enim vtimur vocabulo Perſonæ in doctrina Eccleſiæ, quàm alioqui in Latina lingua loqui ſolemus. Nam apud prophanos ſcriptores Perſona propriè ſignificat laruam ſeu ngumentum oris aut facici, vt eſt apud Gell. lib. 5. ca. 7. qui

7. quia à perſonando hoc nomen deduxit. Inde vox translata eſt ad fictam & hiſtoricam repræſentationē alterius vel abſentis vel mortui, quæ fit imitatione vultus, ſermonis, habitus & geſtuum: vt cum Roſcius olim in theatro dicebatur ſeruire perſonæ, aut ſuſtinere perſonam Atrei aut Thyeſtæ. Et κατὰ μεταφορὰν ſæpe in genere vſurpatur à ſcriptoribus pro quacunq; ſimulatione, quæ aliud intus occultat, alius fortis oſtēdit, vt cùm Seneca dicit: Quoſdam malle perſonam vir tutis quàm faciem: & Mimus inquit: Hæredis fletus ſub perſona riſus eſt: Et Lucretius, ſignificans in ærumnis conſpici interiores animi affectus ſublata ſimulatione: Nam veræ voces tum demum pectore abimo eiiciuntur, & eripitur perſona, manet res. Apud Ciceronem ſignificat ſæpe ordinem ſeu gradum officij, aut muneris in Repub. vt pro Piſone: Non capiunt anguſtiæ pectoris tui grauiſs. perſonam conſulis, qui cùm ſit tutor Reipub. & publici conſilii princeps, gerit perſonam totius ciuitatis. Significat etiam Hebraica conſuetudine loquendi vocabulum perſonæ, quicquid eſt externarum circunſtantiarum ſeu accidentium, quæ ſunt extra principale negotium, ſeu extra rem ipſam, de qua eſt iudicandum, vt cum dicitur: Non eſſe reſpiciendum ad perſonam in iudicio, vnde & προσωποληψία nomen habet. Hac varietate ſignificationū abuſus eſt noſtra ætate Michael Seruetus, homo fanaticus & phreneticus, educatus in Saracenicis Hiſpaniæ & Mauritaniæ ſcholis, à quo variæ ſectæ Antitrinitariorum noſtro tempore extiterunt, vt ad reuocandas blaſphemias Samoſateni & Sabeſij, furenter contenderet, Perſonas in diuinitate nihil aliud eſſe, quàm viſibiles gloriæ Dei ſpecies, ſeu externas quaſdam diuinitatis ideas, quæ verè non ſubſiſtāt in eſſentia Dei, ſed Deum nobis hac vel illa ſpecie figurent ſeu repræſentent. Huic Diabolico figmento opponenda eſt definitio perſonæ, quæ oſtendit, quomodo hæc vox vſurpetur in doctrina Eccleſiæ, & colligenda ſunt teſtimonia vocis diuinæ, quæ demonſtrant vnum ac

verum Deum esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, quæque non solum appellationes seu nomina distinguunt: sed re ipsa & proprietatibus incommunicabilibus hæc tria ὑφιστάμενα in vna eademque diuinitate inter se discernunt.

Quæ sunt autem proprietates illæ, quibus verè ac realiter differunt personæ Patris, Filij, & Spiritus sancti, descriptiones singularum personarum ostendunt, in quibus proprietates recitantur duplices: Aliæ internæ: vt gignere, nasci, procedere. Aliæ verò externæ, sumtæ à beneficijs erga Ecclesiam, vt incarnatio Filij.

ARGVMENTVM III.

¶ Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.

Ergo non est Filius aut Spiritus sanctus ὁμοούσιος Patri.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 325. in Iohan. ca. 17. Tom. 3 oper. 836. & 837.

Magna fuit contentio de hoc dicto. Cùm Ariani id corrumperent, & ad suos furores confirmandos detorquerent, tradita est ab ijs, qui Arianos refutabant, hæc Syntaxis: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te & quem misisti, Iesum Christum esse solum verum Deum. Hæc explicatio Grammatica copulatiuam facit in subiecto, vt diuinitatem Patris & Filij confirmet. Sec hîc quæstio de Spiritu sancto reliqua est. Ideò Syntaxin non valde propugno, quasi quis volet vti, tamen Spiritum sanctum etiam complecti oportebit.

bit. Ego sic respondeo, distingui officia. In priori parte loquitur Christus de diuinitate mittente, vbi tres personæ intelligendæ sunt. Secunda pars discernit officium Personæ missæ, quæ est Deus & homo, à diuinitate mittente. Vult enim hoc dicere: in Ecclesia duas doctrinas necessarias esse, scilicet doctrinam quis sit verus Deus, & doctrinam quis sit Messias, & quæ sint eius beneficia, & quomodo accipienda sint. Primùm affirmat, hunc verum Deum esse, qui misit hunc Messiam. Hîc intelligitur diuinitas mittens Filium, & intelliguntur tres personæ. Deinde personam missam, patientem, resurgentem, quæ est Mediatrix, discernit à diuinitate mittente. Has duas doctrinas teneri & coniungi necesse est, & vtraque opponenda est Ethnicis & alijs, qui aberrant à vero Deo, & sunt blasphemi aduersus Christum. Illi non norunt verum Deum, qui negant, hunc esse Deum, qui misit Filium, & negat hanc personam passam & resuscitatam esse Christum, vt hæc omnia Mahometistæ negant. At Ecclesia in inuocatione alloquitur hunc verum Deum, qui se patefecit missa hac persona, crucifixa & resuscitata, & hunc Christum intuetur. Sic ipse alibi inquit: Qui videt me, videt & Patrem, id est, omnes aberrant à Deo qui non sic eum agnoscunt, hunc esse verum Deum, qui misit hanc personam passam et resuscitatam. Hoc modo dictum in Iohanne intelligatur discernere diuinitatem mittentem & personam missam. Hac igitur Grammatica Syntaxi vtor: Hæc est vita æterna, vt te cognoscant solum verum Deum esse (te scilicet mittentem) Et hunc Iesum quem misisti esse Christum seu Messiam, Mediatorem, Redemptorem, & Saluatorem colligen-

tem Ecclesiam. Nam in scripturis Christus vsitatè est officij nomen. Hæc Syntaxis illustrat principalem Euangelij doctrinam, quæ tradit, quis sit verus Deus, & quæ sit eius voluntas, quomodo velit inuocari & exaudire. Nec verò propterea sequitur, Filium non esse Deum, quia dicit: Te solum. Nam hæc particula non excludit Filium aut Spiritum sanctum, sed numina commentitia omnium gentium. Et sicut alibi, cùm Christus inquit: Pater maior me est: non proponitur discrimen inter personas secundum diuinitatem, sed secundum præsentem vocationem seu missionem Christi: Ita hìc recitatur discrimen Christi humiliati, Mediatoris, seruientis in hac missione, & totius diuinitatis regnantis in arcana maiestate.

DVplex est Syntaxis, qua hoc dictum explicari solet: Vna à veteribus tradita, quæ facit copulatiuam in subiecto: Tu, & quem misisti Iesus Christus, es solus verus Deus. Hæc Syntaxis contra Arianos vsurpata est, qui diuinitati Filij Dei opponebant hoc dictum. Altera explicatio Grammatica duas partes huius dicti constituit, Tu es solus verus Deus: & Iesus, quem misisti, est Christus. Hìc prior pars describit diuinitatem mittentem, quia appellatio Dei referenda est non tantùm ad personam Patris, sed ad totam diuinitatem facientem decretum de mittendo Filio. Ideoque complectitur nomen Dei tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Nec opponitur particula exclusiua Solus, Filio & Spiritui sancto, sed tantum idolis & falsis ac commentitijs numinibus.

Altera pars dicti describit officium personæ missæ, & hanc discernit à diuinitate mittente. Nam Scriptura dupliciter considerandum nobis Christum proponit. Primum in quantum est Deus ὁμοούσιος Patri. Et sic Filius cum Patre & Spiritu sancto condit decretum de sui missione ad faciendam restitutionem generis humani. Deinde in quantum mittitur, vt sit Messias, id est, Rex & Sacerdos Ecclesiæ perpetuus. Hæc interpretatio dicti Christi simplicissima est & summam Euangelij de agnitione essentiæ & voluntatis Dei complectitur. Estque dulcis descriptio vitæ æternæ, quòd in agnitione solius veri Dei, & Christi Mediatoris consistat. Id verò intelligatur non tantum de vita futura (quæ erit conspectus Dei ostendentis se nobis tunc immediatè, & patefacientis nobis sapientiam suam, & luce, sapientia, iustitia, vita & lætitia æterna nos implentis) Sed etiam de inchoatione vitæ æternæ in hac præsenti vita, quæ est, fide per verbum intueri hunc æternum Deum, qui misit Filium Christum: & agnoscere hunc verum Deum placatum esse per Filium Dominum nostrum Iesum Christum natũ ex Maria virgine, crucifixum & resuscitatum, & eum inuocare, petere & expectare consolationem in omnibus ærumnis. Hæc consolatio in veris angoribus verè est gustus & initium vitæ æternæ.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Is solus est vnus verus Deus, quem Christus ipse docuit nos inuocare vt verum Deum.

At Christus in precatione Dominica, vult nos inuocare Patrem: Sicut dicitur Matt. 6. & Luc. 11: Cùm oratis, dicite. PATER noster qui es in cœlis.

Ergo solus Pater est vnus verus Deus, nec Filius aut Spiritus sanctus inuocari debet, vt Deus.

RESPONSIO.

In prop. Phi. Tom. 4. op. 598. & 554. Item in enarrat. Matth. Tom. 3. op. 323.

Omnis vera inuocatio, quæ fit ad Deum, semper intelligatur complecti Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, iuxta dictum: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Et non agnoscitur Pater, nisi & Filius agnoscatur. Scias igitur hac te compellatione, Pater noster qui es in cœlis, alloqui totam diuinitatem. Pater enim hoc loco est Essentiæ nomen, non tantùm vnius personæ. Est igitur vocabulum commune toti diuinitati, seu ponitur essentialiter, non personaliter complectens Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Cùm autem & patribus fuerit Filius propositus in promissione, & nobis iam exhibitus sit, propter quem diuinitas nos recipit: sciamus ideò dulcissima Patris appellatione Christum vsum esse vt discamus totam diuinitatem esse Patrem nostrum, id est, Deum velle nobis esse placatum, nos recipere & exaudire propter Filium, quem constituit pro nobis propitiatorem. Hunc intueamur crucifixum & resuscitatum: Et cùm simul inuocamus tres personas, tamen agnoscamus Filium esse Mediatorem, & Sacerdotem pro nobis interpellantem.

Neque sunt hæc pugnantia. Alloqueris Filium cum Patre & Spiritu sancto, vt socium consilij diuinitatis, socium creationis, & verè Deum, & tamẽ propter hunc, vt Mediatorem, te recipi eras, & credis, iuxta illud: Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Item: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Non frustra facta est patefactio in Baptismo Filij. Itaque velut spectator Baptismi illius stans in illa ipsa ripa Iordanis in cœtu Angelorum & multorum piorum,

tum, qui affuerunt, vocem diuinam cogitato discernentem Personas: Hic est Filius meus dilectus, &c. Item, Videt Spiritum sanctum descendentem specie columbæ.

Imò & tuum Baptismum cogitato. In tuo Baptismo facta est talis inuocatio quæ hunc verum Deum discernit ab omnibus commentitijs numinibus. Ibi fœdus factum est, vt hæc vera diuinitas te reciperet, & ta agnosceres & inuocares hunc Deum, qui est Pater æternus Domini nostri Iesu Christi, conditor cum Filio & Spiritu sancto, ac recipit te propter Filium, & copulat te sibi Spiritu suo sancto.

IN minore ὁμωνυμία est in appellatione patris, quæ interdum personaliter ponitur, nonnunquam verò essentialiter. Personaliter ponitur, cùm diuinitas intra se describitur, hoc est, cùm distertè ac nominatim discernitur persona Patris à persona Filij, vt Ioh. 1. Filius qui est in sinu Patris. Item, Ego honoro Patrem meum. Et in formula Baptismi nostri: Baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Essentialiter verò ponitur, cùm describuntur beneficia Dei erga creaturas & erga Ecclesiam: vt Esa. 64. Et nunc Domine pater noster es tu, Nos lutum tuum. Tu figulus noster, Nos omnes opera manuum tuarum. Et Malac. Vnus est Pater omnium.

Hîc nomen Patris pro autore creationis & conseruationis omnium creaturarum ponitur: Et simul comprehenduntur tres personæ diuinitatis, Quia opus creationis & conseruationis rerum omnium, commune est Patri, Filio, & Spiritui sancto.

Ita Ephes. 4. Vnus Deus & Pater omnium, qui est super omnia: & in precatione Dominica: Pater noster qui es in cœlis. Hîc appellatio Patris accipitur pro Patre omnium electorum seu renatorum, & rursus

comprehẽduntur tres personæ. Quia electionis ac regenerationis opus commune est Patri, Filio, & Spiritui sancto. Sic autem fit electio & regeneratio omnium saluandorum, videlicet, vt mittatur Filius, per quem & propter quem, non solùm creati sumus sed etiam in gratiam recipimur, iuxta dictum: In ipso elegit nos. Item, Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quare nomen Patris, etiam cùm toti diuinitati tribuitur, semper tamen de beneficijs Filij Dei Domini nostri Iesu Christi crucifixi pro nobis & resuscitati, simul nos monet. Quia sine agnitione huius filij, de quo ad nos mittendo tota diuinitas decretum fecit, non possumus cum fiducia compellare Deùm Patrem nostrum. Ideoque in inuocatione vtrumque attentè consideremus, & quem Deum inuocemus Patrem, & cur ita nominemus. Et hac aut simili aliqua forma inuocationis vtamur, quoties inchoamus precationem Dominicam: Omnipotens, æterne, viue & vere Deus, æterne Pater Domini Iesu Christi, Conditor cœli & terræ, Vnà cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, & cũ Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, te supplex alloquor, oro & inuoco, ad te confugio: Tuam misericordiam & opem veris gemitibus imploro: Exaudi me, iuxta promissiones tuas, propter Filium Mediatorem Iesum Christum, Tu es Pater noster, hoc est, Tu vis nobis esse placatus: nos recipere & exaudire propter Filium tuum, quem voluisti esse μεσίτην καὶ ἱκέτην pro nobis. Ingens, verus & ardens amor est parentum erga natos, Propterea vero animi motu ad te Patrem amantissimum confugio, quem fiducia Filij patefacti certò statuo miranda & paterna beneuolentia mihi in omnibus periculis opitulaturum, & diuina consolatione leniturum esse calamitates & ærumnas, &c. Tali aliqua seu forma seu cogitatione te commonefacias, ac fidem accendas & excites quoties recitas hæc verba: Pater noster, vt simul compellare te scias Patrem, Filium & Spiritum sanctum, & hunc vnum ac verum Deum

Deum nominari Patrem nostrum agnoscas, quia placatus est per Filium ad nos missum, & hoc sacerdote perferente nostras preces recipit.

ARGVMENTVM V.

¶ Iohan. 14. inquit Christus, Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Eadem est igitur persona Patris & Filij.

RESPONSIO.

Hæc ipsa concio Ioh. 14. exponit doctrinam de tribus personis diuinitatis, de æterno Patre, Filio Mediatore, & Spiritu sancto. Nam in tota concione ista sæpe nominantur tres personæ, quæ simul sunt efficaces æquali potentia, Pater æternus qui genuit Filium, & Filius genitus, qui est imago Patris, & Spiritus sanctus, qui est agitator & viuificator in cordibus piorum. Cùm autem inquit: Qui videt me, videt Patrem, ablegat Christus interrogantem Philippum *ad conspectum Mediatoris quæ si dicat: Sic vagari humanam mentem, & variè quærere Deum. Sed tu omitte humanas cogitationes, & definias verè esse Deum, qui hunc Christum crucifigendũ & resuscitandum misit, & se per eum patefecit mundo, & per eum promisit salutem. Statuas etiam velle Deum inuocari, & coli fiducia huius Mediatoris, iuxta verbum per ipsum traditum.*

In Postil. Phi. Tom. op. 3. 205. Et in enar. Ioh. ibid. 757.

Sic igitur non confundit personam Patris, & Filij, sed clarè nos hìc docet Christus, vt in omni cogitatione de Deo, sese intueamur, & statuamus hunc esse Deum æternum, qui se in hoc Filio Christo patefecit, & vult inuocari fiducia huius Mediatoris. Qui videt me,

videt et Patrem meum, id est, Si uis quærere Patrem, hîc tantùm agnoſces, ſi defiges mentem in me, Filium reuelatum, & ſtatues hunc ſolum eſſe æternum Patrem, conditorem rerum, qui me miſit, & hanc eſſe voluntatem eius ſolam, quam ego annũcio de remiſſione peccatorum & de vita æterna. Qui aliter quærunt Deum ſine me, & ſine verbo meo, aberrant, ſicut aliàs inquit: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.

» QVòd abutantur verbis Chriſti Antitrinitarij; In-
» uerſio oſtendit. Adeò enim non tollit hoc di-
» ctum Chriſti, diſcrimen perſonarum diuinitatis (de
» quo quidem & aliâs in tota illa cygnea concione, val-
» de perſpicua, & euidentia teſtimonia extant) vt potius
» confirmet hanc doctrinam, quòd alia ſit perſona Pa-
» tris, alia Filij: Quia deducit nos ad agnitionem Filij miſſi & reuelati in carne, & per hunc iubet nos agnoſcere Patrem, qui miſit Filium, per quem placatus eſt, & ſe propitium fore promiſit. Eſt igitur dictum illud: Qui videt me, videt Patrem, non confuſio perſonarum diuinitatis, ſed aſſeueratio huius doctrinæ, quam neceſſe eſt aſſiduè cogitari: Quærendum eſſe Deum agnitione Filij crucifixi & reſuſcitati, & Euangelij in quo hic Filius Dei prædicatur.

Nam neque de eſſentia, neque de voluntate Dei rectè ſentit, ignorans Filium. Sapientes Ethnici, Mahometiſtæ, Iudæi recentes de eſſentia palàm errant, quia negant hunc eſſe Deum creatorem, qui miſit hunc Filium crucifixum & reſuſcitatum, imò hunc Filium abominantur, vt teterrimum idolum: Ac interim fingunt ſibi aliquem creatorem, & ſuos quoſdam cultus excogitant, quibus eum celebrent. Deinde & de voluntate errant, quia etiamſi legis notitia vtcunque manet: tamen nemo poteſt certo ſtatuere, recipi & exaudiri ſe à Deo, niſi per Euangelium agnoſcat Chriſtum Mediatorem. Ideo quanquam Deum inuocant Ethnici, Mahometiſtæ, Iudæi, Papiſtæ & omnes ignorantes Euangelium, tamen dubitant an recipiantur cùm ſint indigni, & tandē deſperatione opprimũtur. Aduerſus has tenebras vtraque tenenda eſt ſentẽtia: qui videt me, videt Patrem. De Dei eſſentia & voluntate quærens, intuearis Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum, de quo Pater è cœlo clamat: Hic eſt Filius meus dilectus quo delector. Hunc audite. Hic eſt verè Deus, qui ſe per hunc Filium patefecit, & hæc verè eſt eius voluntas quam hic Filius annuntiat, qui dixit: Hæc eſt voluntas Patris, qui miſit me, vt omnis qui credit in Filium, habeat vitam æternam. Ita diſcamus hoc dictum Chriſti opponere omnibus ſpeculationibus de Deo, quas ratio humana relicto Euangelio comminiſcitur. Et ad hunc Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum & ad Euangelium eius, mentes noſtras alligemus, nec inde nos auelli ſinamus, vt multi inde imaginationibus humanis ſemper auulſi ſunt & auelluntur. Veteres ſcriptores ex hoc dicto etiam τὸ ὁμοούσιον Filij & Patris probant.

DE DISCRIMINE TRIVM PERSONARVM.

ARGVMENTVM I.

¶ Omnis eſſentia diuina eſt Pater.
Filius eſt eſſentia diuina.
Ergo Filius eſt Pater.

RESPONSIO.

In lib. 8. Dial. Phi. de regul. Syllogiſ. & de Syl. expoſit.

DE *hoc Syllogiſmo ſæpe in Eccleſia diſputatur: Ac prodeſt tenere explicationem ſimplicem, qualem hanc eſſe multi non hebetes iudicarunt. Non valet conſe-*

quentia à non distributo ad distributum. Nam maior etsi videtur esse vniuersalis: tamen non potest resolui in hanc verè vniuersalem: De quocunque verum est dicere, quòd sit essentia diuina, illud est Pater. Nam etiam de Filio verum est dicere, quòd sit essentia diuina. Cùm igitur maior non sit completè vniuersalis, satis intelligi potest, consequentiam vitiosam esse.

Idem argumentum & hoc modo proponitur, vt congruat ad formam Syllogismi expositorij.

Hæc essentia diuina est Pater.
Hæc essentia diuina est Filius.
Ergo Filius est Pater.

RESPONSIO.

Autem est eadem, de qua & antea dictum est. Oportet alteram præmissam in Syllogismo expositorio quadrare ad regulam Dici de omni. De quocunque verum est dicere, quòd sit essentia diuina, de eo verum est dicere, quòd sit Pater. Cùm autem in hoc Syllogismo non possit Maior sic accommodari ad regulam Dici de omni: Quia etiam de Filio verum est dicere, quòd sit essentia diuina: Ideo Syllogismus non procedit. Simus contenti hac explicatione, quæ ostendit, nomen essentiæ pluribus personis conuenire, & hoc exemplum dissimile esse aliorum exemplorum, qualia sunt.

Hic homo est Apostolus gentium.
Hic homo est Paulus.
Ergo Paulus est Apostolus gentium.

Huius

HVius argumenti consideratio monet, essentiam diuinam esse communicabilem tribus personis diuinitatis, & in qualibet persona esse totam & integram ἀδιαιρέτως, ἀμερίστως καὶ ἀδιασπάστως, vt vetustas locuta est. Hinc rectè dici potest: Omnis seu tota essentia diuina est Pater. Item: Omnis seu tota essentia diuina est Filius: Et omnis seu tota essentia diuina est Spiritus sanctus. Sed hæ propositiones non sunt completè vniuersales, non sunt terminorum cõuertibilium, nec æquipollent exclusiuis. Non enim potest dici: De quocunque subsistente verum est dicere quòd sit essentia diuina, is est Pater, vel: De quocunque verum est dicere quòd sit essentia diuina, is est Filius, &c. Hoc enim si diceretur, idem esset ac si quis dicere auderet: Solus Pater est omnis essentia diuina, aut solus Filius est omnis essentia diuina, &c. Atque ita poneretur vel vna tantùm Persona in diuinitate, id est, ἓν τρισώνυμον cum Sabellio, vel statuerentur plures essentiæ diuinæ inæquales, vt Arriani faciunt. Quod vt intelligi possit a rudioribus, vtile est cõsiderare discrimen inter has duas propositiones, quarum est vna: Quælibet persona est essentia diuina seu verus Deus. Altera est: Quælibet persona sola est verus Deus. Prior propositio recepta est: Quia retinetur in ea τὸ ὁμοούσιον, id est, identitas essentiæ personarum, & significatur vnam & eandem essentiam diuinam communem esse tribus personis. Altera verò nequaquam admitti potest, ne remoueantur seu excludantur à communitate eiusdem essentiæ diuinæ, personæ cæteræ. Ita enim tolleretur τὸ ὁμοούσιον, hoc est, fingeretur, essentiam diuinam esse aliquid incommunicabile, atque ita vel personæ plures in vna eademque vera Deitate negarentur, vel diuinitas discerpereturin plures inæquales deos. Copiosior explicatio sumatur ex primo Dialogo Athanasij de sancta Trinitate.

ARGVMENTVM II.

¶Idem non gignit seipsum.
Essentia est eadem.
Ergo essentia non gignit essentiam.

RESPONDEO.

In enarra. Sym. Nic. Tom 12. oper. 218. & 219. Itē Tom. 1. ope. 398. In prop. Tom. 4. oper. 555.

Ad maiorem : Idem quatenus est incommunicabile non gignit sese : sed idem quod est communicabile, communicatur genito. Est autem essentia communicabilis, ideo communicatur genito. Huius argumenti solutio prodest ad explicandam quæstionem, quæ agitatur de modo loquendi, An rectè dicatur, Essentia generat, & essentia generatur : an verò sic tantùm sit loquendum: Pater generat, & Filius generatur. Etsi autem forma loquendi magis perspicua est, & minus parit certaminum, dicere: Pater generat, Filius generatur: tamen & hic modus loquendi : Essentia generat, & Essentia generatur, dextrè intellectus rectè vsurpatur. Sed recentiores cùm negant hanc propositionem : Essentia generatur, offundunt imaginationem, quasi alia quædam res nascatur, & Essentia addatur non nata. Hæc imaginatio procul ex mentibus eiicienda est, & sciendum: cum Filius nascitur, verè eum de essentia Patris nasci, atque ita nasci essentiam, quæ Filius est, sicut in Symbolo dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. Hæc vera sententia considerata, facilè etiam est iudicium de illis quæstionibus recentiorum, vbi quærunt: An in Filio differat realiter essentia, & relatio, & an relatio generetur, si essentia non generatur. Scias autem verissimum esse, in qualibet persona essentiam & relationem nequaquam differre realiter, nec esse duas res, essenti-

essentiam Filij, & relationem, sed reuera Filium esse Essentiam genitam, non aliam rem esse natam. Hæc vera sunt, & pios, qui dextrè hæc accipiunt, vtiliter erudiunt, vt agnoscant Filium Dei, verè esse genitam à Patre essentiam, non duas res esse, nec tantùm relationem natam esse. Humana mens cogitans format, imaginem rei cogitatæ, sed huic imagini non communicat suam essentiam, ac imago ipsa tantùm est euanescens actio, & non viuit. At æternus Pater sese intuens, gignit imaginem sui substantialem, & viuam, de ipsa essentia Patris, quæ est ὁμοούσιος Patri. Hæc apud Græcos minus obscurè tradita sunt, quàm apud Latinos.

OCcasio huius argumenti sumta est ex disputationibus Magistri sententiarum, quæ extant lib. 1. distinct. 5. & 18. Negat enim ibi, rectè dici: Pater genuit diuinam essentiam, vel diuina essentia genuit Filium : vel essentia genuit essentiam. Denique affirmat : Omninò non genuisse, nec genitam esse diuinam essentiam. Sed reprehendit Magistrum Sententiarum Ioachimus Abbas : quem tamen in concilio quodam Lateranensi damnarunt Pontificij : Eaque damnatio iuri Canonico inserta est. Considerandum est igitur, an inter scholasticos insistentes Magistri sui Petri Lombardi vestigijs, & Ioachimum Abbatem & alios reprehendentes illorum explicationes λογομαχία, id est, rixa de modo loquendi tantùm: an verò dissensio de doctrina Ecclesiæ necessaria fuerit. Non dubium est autem de re disceptationem esse, nec tantùm motam fuisse λογομαχίαν. Hoc enim quæritur : Quæ res constituat personam Filij : seu quæ res sit terminus generationis æternæ, hoc est, quæ res sit quæ gignitur, num relatio tantùm, an essentia. Sententiarij : dicunt essentiam nec constituere personam, nec esse terminum generationis,

Cùm enim Essentia vna & eadem sit: Personæ verò tres, absurdè illis dici videtur de Essentia quòd generet aut personam constituat. Itaque relatione dicunt cõstitui personam: quod tamen admodum est obscurum. Quærit enim mens statim, quæ res sit quæ gignitur, Num sit relatio tantùm, an essentia. Necesse est autem pias mentes rectiùs eruditi, vt sciant non tantùm relationem esse terminum generationis: sed ipsam Essentiam genitam, id est, Filium ὁμούσιον æterno Patri, esse generationis terminum, & veram esse propositionem, Filius est essentia diuina genita. Non enim fingendum est secundam personam diuinitatis alia re Deum esse, alia re Filium, hoc est, non est existimandum illam coæternam imaginem Patris esse duas res, Imaginem & essentiam: sed ipsa essentialis imago genita est Filius, sicut in Symbolo dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. Vt igitur hi modi loquendi, quos omnes fatentur rectè vsurpari, necessariò retinendi sunt, Videlicet: Pater generat Filium: & Filius generatur ab æterno Patre. Item: Pater genuit Filium de essentia sua. Et Filius genitus seu natus est de Patris essentia: Sic manifestum est, ne hanc quidem Propositionem rectè intellectam reijciendam esse, Essentia generat seu genuit. Et essentia generatur seu genita est: nimirum vt monstrari possit, quis sit terminus generationis, seu quæres sit quæ gignitur. Nam dicere solam relationem gigni, absurdissimum est, Quòd autem contra hanc verborum formam: Essentia generet, argumentum opponitur: Idem non gignit se ipsum: Essentia in diuinis est eadem: Ergo essentia non gignit Essentiam, neque essentia gignitur de Essentia: Respondendum est, esse ambiguitatem in vocabulis: Nam in Maiore Idem significat id quod est communicabile, id est, ponitur pro ipsa persona Patris. Non autem Pater seipsum gignit, sed aliam subsistentem, id est, imaginem sibi coessentialem Filium. In minore particula Eadem accommodatur ad essentiam, quæ est communicabilis. Hoc idem scilicet communicabile, cuiusmodi est essentia diuina, & gignit, & gignitur, & procedit. Est enim Filius verè essentia diuina genita. Eruditi vt perspicuè & breuiter summam sententiæ in hac tota disputatione explicent, concinnè dicunt: Essentiam gignere & gigni non absolutè, sed relatiuè consideratam. Atque inde responsio sumitur etiam ad hoc argumentum scholasticorum.

Commune tribus personis non generat. Quia sic quælibet persona generaret.

Essentia est communis trium personarum.

Ergo essentia non generat.

Respondeo ad Maiorem, commune scilicet cum absolutè consideratur, seu indistinctè, seu in quantum commune est tribus personis non generat, sed in quantum relatiuè consideratur, id est, in quantum est essentia Patris. Quia essentia considerata relatiuè, & relatio sunt vna res, cùm quælibet persona sit ipsa essentia cum sua proprietate incommunicabili. Sed hæc alibi declarantur prolixius. Et plura apud Græcos extant congruentia huic enarrationi, quæ in responsione tradita est, quæ ex ipsis fontibus petenda sunt.

ARGVMENTVM III.

¶ Non possunt homines in hac vita satis intelligere discrimina personarum diuinitatis, quæ ab æternis proprietatibus sumuntur.

Ergo non est quærendum discrimen inter nasci & procedere.

RESPONSIO.

Verum est exhauriri hæc arcana non posse. Sed tamen significare discrimen Filius Dei voluit, & nequa- In enarra. Sym. Nic.

Tom. 1 oper. 403. Itē To. 2. oper. 228. & in enar. 20. cap. in Iohan. & sæpe alibi.

quam eius sermo mutandus est. Vsus est autem vocabulis humanis, quasi deducens nos ad aspectionem naturæ hominis, vt inde similitudo & vmbra sumeretur. Sunt autem in anima hominis duæ præcipuæ potentiæ, intelligens & volens. Intelligens format imagines. Quoties de amico cogitat, statim eius imaginem in mente quasi pingit. Volentis autem potentiæ sunt amor, lætitia & alij affectus: & cum hac copulatum est in homine cor, quod gignit spiritus, videlicet flammulas, quæ sunt incitatrices actionum, motuum & affectuum. Sumatur ergo hinc discrimen inter nasci & procedere. Nasci est à potentia intelligente, quia Filius cogitatione nascitur, & est imago Patris, & prolato verbo nobis ostendit Patrem & voluntatem eius, per quod verbum & ipse notitiam in nobis accendit. At procedere est à voluntate, quia Spiritus sanctus est agitator seu amor substantialis, & tanquam ignis amoris, quo Pater Filium complectitur, & Filius Patrem: Imò quo postea Pater, & Filius dulcissimo complexu sibi copulant Ecclesiam. Est autem amor à voluntate, vt constat: Et sensus oculi aliquo modo hæc adumbrat. In osculo hominis vero & ardenti spiritus ex corde exhalatur, quasi transfundens amorem: ita Deus amorē in nos suum Spiritu suo transfundens, nos sibi copulat, & nos lætitia complet.

FAllacia est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Non potest natura diuina penitus perspici: sed inde non sequitur omittendam esse prorsus omnem cogitationem rerum diuinarum. Quia etsi arcana, vt apud Theodoretum inquit Eranistes, non sunt exquirenda, tamen patefacta non omnino ignorari debent: τὰ κεκρυμμένα οὐ δεῖ ζητεῖν, οὐδὲ τὰ δεδηλωμένα παντελῶς ἀγνοεῖν. Nam Deus discernens personas, & sumens imagines à propriet atibus

bus hominis, aliquo modo ostendit qualis sit natura diuina & qualia sint discrimina personarum. Et cum vocabulis vtatur Deus, quæ aliquo modo intelligimus: vult nos ita agnoscere & inuocare Deum, & eum discernere à commentitijs numinibus. Filius vocatur λόγος & imago Patris. Significatur ergo: Nasci Filium cogitatione Patris sese intuentis, & gignentis sui imaginem, sicut in homine cogitatione gignitur imago rei cogitatæ: Ita in humana cogitatione aliquo modo adumbratur, qualis sit generatio Filij, & quòd sit imago. Et quia Deus vocabulis vtitur sumtis ex humana natura, vult nos hanc similitudinem cogitare, vt aliquo modo discrimina personarum considerentur. Ac magna est dignitas humanæ naturæ, quòd Deus has picturas humanæ naturæ in nobis condidit. Sic & nomen Spiritus indicat aliquo modo vnde procedat, & qualis sit Spiritus sanctus, vt in mente hominis sunt cogitationes & imagines rerum, quas cogitamus: Ita in corde sunt Spiritus. id est, halitus & motus, vt in amore, ira & alijs affectibus experimur, vbi cor magno motu fundit spititus. Vt igitur Filius Dei est imago à mente genita: Ita Spiritus est à voluntate Patris & Filij, seu amor, seu amoris ardor, & halitus quo se Pater & Filius mutuò complectuntur, & quo Angelos & homines complectuntur. Est que considerandæ magnitudo amoris Dei erga nos, quibus datur Spiritus sanctus. Quia vt spiritus ex nostro corde effusus in osculo, nuncius est veri amoris, & transfusio naturæ nostrę: ita sciamus verum, non simulatum amorem esse, cum Deus in nos Spiritum ex sese transfundit, sicut in Ioele dicit, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Hæc piè ac sobriè cogitanda sunt. Et quia Scriptura soli Filio tribuit hanc proprietatem, quòd gignatur à Patre: Spiritui sancto verò, quod procedat: aliquo modo considerandum est aliud esse generationem Filij, aliud processionem Spiritus sancti, sicut in homine differunt cognitio seu cogitatio, quæ est mentis actio non voluntatis: & amor, qui propriè oritur à voluntate, & sequitur cognitionem.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Filius Dei natus est ab æterno à Patre. Non igitur rectè vsurpatur hæc phrasis: Filius gignitur, seu nascitur à Patre.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. de Deo Tom. 1. o- per. 401.

Remouenda est temporis & moræ cogitatio à generatione diuina. Gregorius hac phrasi vtitur: Filius semper natus est. Alij, Filius semper nascitur. Sed remoueantur hæ temporis & nostrorum motuum progressiones ab huius generationis consideratione, & simul tamen sciamus, Filium Dei esse integrum, seu integrè natum esse ex substantia Patris. Nec disputemus hæc curiosius.

HVius etiam argumẽti occasio sumta est ex Lombardo. Qui lib. 1. distinct. 9. quærit: Vtrum rectiùs dicatur: Pater æternus gignit Filium: An verò Pater genuit Filium. Item, Filius nascitur, vel Filius natus est à Patre. Mouet hanc quæstionem & Anomœus Arianus apud Athanasium, Dial. 1. de Trinit. Vtrũ rectè dici possit: Spiritus sanctus procedit, vel processit. Sed vtraque verborum forma dextrè intellecta, retineri potest: Quia actiones Dei internæ & arcanæ non sunt subiectæ tempori: sicut rectè Augustinus dixit: In æternitate neque præteritum quidquam est, quasi esse desierit, neq; futurum, quasi nondum sit, sed præsens tantùm: Quia quidquid æternum est, semper est. Idem in hac quoque regula dicetur: excludendam seu remouendam esse à generatione Filij, & processione Spiritùs sancti cogitationem de successione, qualis est in tempore. Simul autem & hoc considerandum est, locutionibus illis: Filius SEMPER nascitur, aut SEMPER natus est, non significar auti

aut imperfectam generationem Filij, aut crebram iterationem generationis Filij. Sed Filius integrè nascitur ex substantia Patris, ab omni æternitate, iuxta dictum: Filius meus es tu. Ego hodie genui te.

ARGVMENTVM V.

¶ Sæpe in scriptura Exite à Patre, tribuitur Filio.

Ergo exire seu procedere non est ἰδιότης προσωπικὴ seu proprietas personalis Spiritus sancti.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Ni. de Deo Tom. 2. op. 229.

Vt vitentur ambiguitates & insidiæ in vocabulis, summa cura retinendæ sunt appellationes & phrases traditæ in sermone Prophetico & Apostolico, & vsitatæ in vera Ecclesia. Cùm igitur discernuntur proprietates Filij & Spiritus sancti, necesse est distingui inter nasci & procedere. Si quis autem disputabit, cùm nomen Processionis seu egressionis tribuatur Spiritui sancto, cur sæpe tribuatur Filio: Respondendum est, vocabulum Egredi communius esse. Sed cùm de Filio dicitur, declarandum est per vocabulum Gigni seu Nasci. Filius egreditur vt genitus, & vt λόγος & imago. Spiritus sanctus procedit vt agitator & lætificator. Ideo discernatur egressio: altera est à potentia cogitante, altera est à voluntate. Aliquid etiam interest inter verba ἐξελθεῖν & ἐκπορεύεσθαι. Nam πόρος est agitatio & motus.

Consideretur autem & hoc in Scriptis Propheticis & Apostolicis, vbi propriè de generatione æterna dicatur, vbi de generatione visibili Christi, vbi denique

de aduentu ad ministerium. Iohan. 8. Ego à Deo exiui & venio. Hîc dicitur proprie de missione, & de aduentu ad ministerium, quia obiurgat Iudæos, quòd non velint eius sermonem audire, cùm missus sit ad annunciandum Euangelium, sicut mox addit: Si veritatem dico, cur non creditis mihi? In Michæa capite 5. dicitur: Et tu Bethlehem paruula es in millibus Iuda, id est in populo Iuda. Ex te mihi egredietur, qui erit Dominator in Israel. Hic egressio significat generationem visibilem, qua Christus ex virgine editur in Bethlehem. Deinde sequitur: Et egressiones eius sunt ante dies Mundi. Hîc intelligitur generatio æterna. Quia dictum concionatur de vtraque generatione.

COmmonefactio Grammatica est in hoc argumento, ostendens ambiguitatem in vocabulo Egredi & procedere, quæ in Latinis versionibus Bibliorum sæpe confunduntur. Apud Græcos propria significatio illorum facilius discerni potest. Nam ἐξελθεῖν in genere significat exire seu egredi, ἐκπορεύεσθαι est procedere seu egredi cum motu & agitatione, vt cùm aqua ebullit ex scaturiginibus. Est enim πορεύεσθαι ἀπὸ ζέσεως, quæ vox significat agitationem & motum. Hoc igitur propriè tribuitur Spiritui sancto, qui procedit vt agitator & motor. Estque amor substantialis & lætitia coæterna inter Patrem & Filium. Alterum, videlicet egredi seu exire, ἐξελθεῖν, sæpe etiam ad Filium transfertur. Idque triplici discrimine: Interdum significat aduentum Filij ad ministerium verbi. Nonnunquam generationem visibilem seu natiuitatem ex virgine: Interdum etiam generationem æternam, qua egreditur ex Patre, id est, nascitur seu gignitur, vt substantialis imago Patris, coæterna Patri.

ARGV-

ARGVMENTVM VI.

¶ Opera diuinitatis externa sunt cõmunia.
Creatio mundi, Restitutio generis humani & collectio Ecclesiæ, est opus diuinitatis ad extra.
Ergo eodem modo fit per Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

RESPONSIO.

Vera est hæc regula: Opera trinitatis ad extra sunt indiuisa, id est, Personæ simul sunt, & simul agunt: & tamen hæc regula sic intelligenda est, vt sua cuique personæ proprietas tribuatur. Quòd creatio sit opus commune æterni Patris, Filij, & Spiritus sancti, manifestè significatum est Geneseos 1, in hoc dicto: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Item verbo Domini cœli creati sunt, & spiritu oris eius exercitus eorum. Hîc tres personæ nominatim recitantur. Sed hic ordo considerandus est: Pater creat per Filium, qui est Verbum, in quo lucet opus totius opificij, & Spiritus sanctus immediatè fouet creaturas, & motum impertit. Hæc significantur, cùm Iohannes & Paulus certo consilio vtuntur hoc modo loquendi, vt dicant: Per Filium omnia creata esse. Item cùm Moyses inquit: Spiritus Domini ferebatur super aquas. In enarra. Sym. Nic. de Crea. Tom. 2. oper. 231.

Sic etsi restitutio hominis post lapsum, & collectio Ecclesiæ commune opus est totius diuinitatis: tamen ibi quoque hic ordo considerandus est. Filius & Spiritus sanctus mittuntur, Pater non mittitur. Et æternus Pater est efficax, sed per Filium & Spiritum sanctũ. Filius immediatè profert Euãgelium ex sinu æterni Patris, & In enarra. Sym. Nic. de Deo Tom. 2. oper. 224. Item To. 1. ope. 308. in exam. Theol.

ostendit voluntatem æterni Patris, & sanctificatur Ecclesia dato per eum Spiritu sancto. Et Filius assumsit naturam humanam, non aliæ personæ. Sic igitur saluat & viuificat Pater, videlicet hoc ordine per Filium. Ideo 1. Corinth. 15. dicitur: Gratia sit Deo danti nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Et 1. Corinth. 1. Christus factus est nobis à Deo sapientia, iustitia, sanctificatio, redemtio. Item, Dominus ipse inquit: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Et sic dictum est: Filius agit per se, sed non à se.

HVius argumenti explicatio monstrat veram & eruditam interpretationem dicti Augustini: Opera trinitatis quo ad extra sunt indiuisa seu communia. Etsi enim, vt alibi idem loquitur Augustinus, sicut personæ sunt inseparabiles: ita etiam inseparabiliter agunt: tamen hæc restrictio addenda est: seruato ordine personarum, & cuiusque personæ proprietate. Tota diuinitas est creatrix, sed hoc ordine: Pater vult creationem & totum ordinem rerum, & exprimit hanc voluntatem per Verbum, quo dicente res fiunt & distinguuntur: Et Spiritu sancto simul creante fouentur res: Ideo Basilius dixit: τῷ καταρκτικὴ αἰτία τῶν γενομένων ὁ Πατὴρ, Δημιουργικὴ ὁ Υἱὸς, τελειωτικὴ τὸ Πνεῦμα. Sic restitutio generis humani, etsi beneficium est totius diuinitatis: tamen immediatè fit per Mediatorem, & meritum est proprium Mediatoris, quo satis fit iustitiæ Dei. Deinde & ipsa actio, qua colligitur Ecclesia per ministerium, & sanctificatur dato Spiritu sancto, & eripiuntur sancti ex æterna morte, est immediatè opus Filij, sicut expresse dicitur Ioh. 17. Dedisti ei potestatē omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitā, &c. Idem de resuscitatione mortuorū & de vniuersali iudicio dici potest: Fit resuscitatio simul à Patre, Filio, & Spiritu sancto, sed tamen immediatè fit per Filium, & exercetur per Filium visibile iudicium.

Ideo

Ideo dictum est: Pater dedit omne iudicium Filio, quia Filius hominis est. Item Veniet hora, & audient vocem eius, qui sunt in sepulchris.

DE APPELLATIONIBVS FILII.

ARGVMENTVM I.

¶ Verbum est vox euanescens.
Filius Dei est Verbum æterni Patris.
Ergo est vox euanescens.

RESPONSIO.

NEgo consequentiam, Quia est æquiuocatio. Cùm de verbo hominis loquimur, verbum est in prædicamento qualitatis. Significat enim plerunque sonos, qui sunt percussiones in aere euanescentes, & sunt accidentia. At longè alius est vsus huius vocabuli, cùm Filius Dei vocatur Verbum, vt Iohan. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hîc enim λόγος significat Filium Dei, qui est secunda persona diuinitatis. In ea significatione λόγος pertinet ad prædicamentum substantiæ. In Decl. Phil. lib. 4. tit. de fal. in decl. & lib. 1. de prædic.

Considerandum est autem, Filium Dei dici λόγον: & respectu Patris, quia cogitatione nascitur: & respectu nostri, Quia est persona proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, & conseruans ministerium Euangelij: & est efficax in his, qui credunt Euangelio, & voce Euangelij dicens consolationem in cordibus eorum, & In exam. Theol. de Deo.

viuificans eos, sicut inquit: Ego vitam æternam do eis, & ostendens Patrem, & effundens Spiritum sanctum in corda eorum.

INsignis est hæc vtilitas doctrinæ prædicamentorum, quòd vocabula perspicuè discernit. Ita λόγος seu Verbum est in prædicamento Qualitatis, cùm significat vocem seu sermonem transeuntem, vt cùm dico: volat irreuocabile verbum, Interdum in prædicamento Relationis est, cùm significat promissionem qua obligamur alteri: vt cùm Iurisconsulti dicunt: verba ligant homines, taurorum cornua funes. Sæpe in prædicamento Actionis est, cùm significat cogitationem, seu deliberationem, seu propositum in mẽte. Græci λόγον ἐνδιάθετον nominant. Sed cùm in narratione Iohannis dicitur: In principio erat Verbum, &c. Hîc Verbum nequaquam intelligatur vulgari modo, sed Verbum Persona est, videlicet Filius Dei, quem Nazianzenus in fine 2. orat. περὶ υἱοῦ sic nominari scribit, & propter æternam illam generationem, & quia per eum Pater ab initio se patefecit Ecclesiæ: λόγος ἐστὶ ὅ πως οὕτως ἔχει πρὸς τὸν Πατέρα, ὡς πρὸς νῦν λόγος, ὃ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς, καὶ τὸ ἐξαγγελτικὸν, id est: Quia sic se habet ad Patrem, sicut sermo ad mentem. Nec id propterea tantùm, quòd mens gignens Verbum nihil patitur, sed ideo etiam, quòd hoc Verbum perpetuo Patri coniunctum est, quodque profert & nobis annuntiat Euangelium. Similis explicatio appellationis τοῦ λόγου est apud Basilium in enarratione exordij Iohannis: Quare, inquit, dicitur λόγος? vt ostendatur, quòd ex mente prodierit, & sine passione mentis genitus sit imago Patris, totum in se ostendens Patrem, & perfectus existens per seipsum, sicut & noster sermo totius cogitationis est effigies, &c.

1. 2. 3.

ARGV-

ARGVMENTVM II.

¶ Vocabula intelligenda sunt secundum communem loquendi consuetudinem.

λόγος communi consuetudine linguæ significat aut sermonem, aut deliberationem seu propositum in mente.

Ergo & in narratione Iohannis hoc modo intelligatur λόγος seu Verbum de promissione edita, vel de decreto in mente Patris.

RESPONDEO.

Præcipua controuersia est in narratione Iohannis, An λόγος *significet personam, sicut Ecclesia Dei Catholica semper sensit & defendit. Nam astuti quidã & impij, vt Samosatenus, & postea Photinus, & recens Seruetus scelerate eludere & corrumpere ausi sunt dictum Iohannis, ac contenderunt,* λόγον *non significare personam, sed sicut in homine, cogitationem hominis aut sermonem non dicimus esse personam, sed qualitatem aut motum transeuntem: Ita voluerunt in Iohanne intelligi* λόγον *non esse personam, sed cogitationem seu propositum Patris, quod sit ipse Pater, sicut dicimus mentem aut bonitatem Patris esse ipsum Patrem.*

In locis Theol. de Filio. To. 1. op. 153. b. & deinc. Item in postrema parte responsionum ad art. Bauar. Tom. 1. oper. 385.

Denique narrationem Iohannis accommodabant ad exemplum hominis architecti: vt in architecto est Idea futuri operis, quæ non est persona, sed propositum & cogitatio in architecti mente: Sic in conditore Deo dixerunt fuisse Ideam & propositum, quòd se patefacere voluit per conditionem Mundi, & per Doctorem excellentem Christum, traditurum doctrinam salutis & editurum testimonia de Deo: Hanc cogitationem seu

propositum dixerunt fuisse ipsum Patrem, & de hac cogitatione aiunt in Genesi scriptum esse: Dixit Deus: id est, decreuit, proposuit. Et in Iohanne, Omnia per ipsum facta sunt, id est, Omnia condita sunt per hanc Architecti cogitationem, seu per sermonem iubentem vt res fierent.

Quod verò Iohannes inquit: Verbum caro factum est, sic corruperunt, tandem iuxta id propositum natum esse ex Virgine Christum, atque ita Iohannem exorsum esse inquiunt, vt moneret Euangelium non esse inuentum humanum, sed æternum Dei propositum fuisse, mittere hunc doctorem Christum, & per eum edere testimonia doctrinæ.

Hæc sycophantica corruptela, quia alludit ad humanum exemplum, propter concinnitatem impijs ingenijs blanditur, & sæpe magnas ruinas traxit. Sunt autem firma testimonia colligenda, quæ ostendunt, oportere hic λόγον intelligi Personam. Id ex illa ipsa narratione primùm ostenditur, si serics membrorum in tota concione Iohannis conferatur. Deinde idem ostendunt testimonia de perpetua inuocatione: Item de omnipotentia & de perpetua præsentia Filij Dei in Ecclesia. Denique & testimonia vetustæ Ecclesiæ hanc verissimam sententiam confirmant. Ignatius nominat Christum λόγον ὐσιώδη. Et Tertullianus contra Praxeam expressè quæstionem mouet: An λόγος apud Iohannem significet σῶμα: qua voce intelligit Personam, & affirmat λόγον ibi significare non sonũ aut cogitationem euanescentem, sed quoddam ὑφιστάμενον subsistens & intelligens. Irenæus etiam apertè affirmat, λόγον fuisse Personam antequam assumsit humanam naturam. Sic enim inquit: Ostenso manifestè, quòd in principio

principio λόγος existens apud Deum, per quem omnia facta sunt, qui & semper aderat generi humano, hunc nouissimis temporibus secundum præfinitum tempus à Patre vnitum suo plasmati, passibilem hominem factũ misit. Affirmat & Origines περὶ ἀρχῶν disertè, λόγον Personam esse: Nemo putet, inquit, nos ἀνυπόστατον quiddã dicere, cùm Dei Sapientiam nominamus, &c. Hæc sunt illustria testimonia laudatorum scriptorum, qui fuerunt ante Nicenam Synodum. Et tunc cùm Samosatenus tumultuaretur, conuenerunt senes Episcopi Antiochiæ ex vicinis regionibus, qui discipulos Apostolorum audierant, & Samosatenum refutarunt, ac damnatum eiecerunt ex Ecclesia. Ad eam cognitionem profectus Gregorius Neocæsarienſis Episcopus senex, cuius doctrinam Ecclesia eius temporis purissimam esse iudicauit: reliquit scriptam confessionem multò antè Nicenam Synodum, quæ extat libro septimo Euseb. pag. 173. In qua & hæc verba leguntur: Vnus Deus Pater Verbi viuentis, sapientiæ subsistentis, &c.

PRæcipuum hoc argumentum fuit Samosateni, quo dicta Iohannis, quibus in exordio Euangelij describitur natura diuina Christi, eludere conatus est. Finxit enim λόγον non oportere intelligi λόγον ὑφιστάμενον, seu vt nos dicimus, viuentem & intelligentem personam, sed satis esse si intelligatur cogitatio seu decretum de venturo Redemtore homine seu sonus ipse promissionis euanescens. Aduersus hanc elusionem astutè cogitatam bene muniendi sunt piorum animi. Sic igitur ad Maiorem argumenti propositi respondendum est.

In vocabulis retinenda est propria significatio secundum vsitatam loquendi consuetudinem, videlicet, nisi textus ipse seu tota series narrationis, &

petuus vniuersæ scripturæ consensus, & testimonia orthodoxæ Ecclesiæ omnium, temporum diuersum conuincant. Nam in Ecclesia sumendus est intellectus sermonis ex ipsis fontibus scriptorum Propheticorum & Apostolicorum: Et audienda est Ecclesia Orthodoxa, vt doctrix & vt testis. Et sciendum est, Prophetas & Apostolos aliter vti certis vocabulis, quàm vsitata loquendi consuetudo. Deinde ad Minorem. Quòd λόγον intelligi oporteat ὑφισάμενον, non cogitationem vel sermonem euanescentem, hæc tria argumenta conuincunt. Primùm, Tota narratio Iohannis, in qua singula membra sunt testimonia, quòd appellatione τῷ λόγῳ intelligendum sit subsistens, vinum, indiuiduum, intelligens, incommunicabile, &c. Secundùm, Dicta Prophetica & Apostolica penè innumerabilia, quæ clarè testantur in Christo esse naturam diuinam, & omnipotentem, & Christum etiam antè assumtionem carnis, perpetuò affuisse Ecclesiæ, & semper cum Patres inuocasse. Tertiùm, Confessio Ecclesiæ Catholicæ & Orthodoxæ omnium temporum, quæ λόγον intellexit de secunda persona diuinitatis, quæ est Filius, & hanc interpretationem ex ipso Iohanne didicit: qui hunc ipsum, quem antea λόγον nominauit, mox in eadem narratione appellat Filium & quidem vnigenitum: Vidimus gloriam eius quasi vnigeniti à Patre: & Filius vnigenitus qui est in sinu Patris, &c.

ARGVMENTVM III.

¶ Filius est sapientia Patris 1. Corint. 1. Prouerb. 8. Syracid. 1.

Ergo Pater non est sapiens propria sapientia.

RESPON

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Ni. Tom. 1. op. 401. Item To. 2. ope. 114.

Scriptores vetusti post Apostolos, Filium sæpe nominant sapientiam, sumta occasione vel ex 1. cap. prioris ad Corinth. vel ex Prouerb. Salomonis & Syracidæ. Sed monendi sunt rudiores: Non hoc ita accipiendum esse, quasi Pater non sit sapiens propria sapientia, sed vt personæ discernantur. Nominatur enim Filius sapientia, sicut & λόγος nominatur: vt hoc ipso nomine distinguatur persona Patris & Filij. Interea sciamus, Patrem esse personam intelligentem propria intellectione, & Filium esse personam intelligentem propria intellectione. Quomodo enim diceret Pater & gigneret λόγον, nisi ipse esset quiddam intelligens & cogitans? Cùm igitur Filius nominatur sapientia Patris, intelligatur hoc vocabulum de sapientia genita, quæ est λόγος, & lumen de lumine. Verum enim est, Filium dici sapientiam etiam respectu Patris. Sed Paulus, cùm nominat Filium sapientiam, loquitur simpliciter de sapientia Dei patefacta in collectione Ecclesiæ, significat enim Christum esse personam, per quam Pater nobis hanc arcanam sapientiam patefecit, quòd hoc modo velit nos saluare, sicut docetur in Euangelio. Ita de potentia etiam loquitur, quæ patefit in Ecclesia. Non hoc vult, Patrem esse imbecillem, & tantùm Filij potentia potentem esse, sed docet, Christum esse personam, per quam Pater est efficax, colligit & saluat Ecclesiam, & resuscitat mortuos.

FAllacia est æquiuocationis. In antecedente nomẽ sapientiæ ponitur personaliter, In consequente verò vsurpatur essentialiter. Nominatur autem Filius sapientia Patris, non tantùm quia λόγος est, genitus ex Patre se intuente & cogitante: Sed etiam quia cum ipso deliberat Pater, vt Genes. 1. significa-

tur: Dixit Deus: Faciamus hominem, &c. Et quia ipse ostendit Patrem, & arcanum eius consilium de redemtione protulit, sicut inquit Luc, 10. Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Ascribam locum ex M. sent. lib. 1. di. 32. vt occasionem huius argumenti lector consideret: Diligenter, inquit, inuestigari oportet, vtrum Pater sapiens sit sapientia, quam genuit, quæ tantùm Filius est, &c. Hanc quæstionem vrgere videtur, quod scripsit Apostolus dicens: Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Ibi quæritur, vtrum ita sit Pater sapientiæ & virtutis suæ, vt hac sapientia sapiens sit, quam genuit, & hac virtute potens, quam genuit. Sed absit vt ita sit: quia si hoc est ibi esse quod sapere: non per illam sapientiam, quam genuit, Sapiens dicitur Pater: alioquin non ipsa ab illo, sed ille ab ipsa est, &c. Et paulò pòst: Ergo Pater ipsa sapientia est, quia Sapiens est. Filius verò dicitur Sapientia Patris & virtus Patris, non quia Pater per eum sit sapiens vel potens, sed quia Filius Sapientia & virtus est de Patris sapientia & virtute, &c.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Imago est vmbra alterius rei, nec est quiddam ὑφισάμενον.

Filius nominatur imago Dei.

Ergo Filius non habet propriam ὑπόστασιν, seu non est ὑφισάμενον.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 396. & 397. & *Paulus in Epistola ad Colossenses nominat Filium imaginem æterni Patris. Hæc appellatio non solùm de arcana collatione Patris & Filij nos monet, sed etiam de patefactione erga nos. Nam Pater seſe intuẽs, hac cogita-*

cogitatione gignit Filium imaginẽ suam, sicut & in humana mente, cogitatione formatur imago rei cogitatæ. Deinde talis est Pater, qualem Filius esse anunciat vt in nobis quoque sermo est imago mentis. Refutat autem Samosateni & similium præstigias ipse textus Pauli, cùm postea inquit in eodem capite ad Coloss. Per Filium omnia esse condita & conseruari. Et in Epistola ad Hebræos duo vocabula vsurpantur, quæ prorsus idem significant quod imago, sed simul ostendunt, qualis sit imago. Nominatur enim Filius χαρακτὴρ substantiæ Patris, id est, imago substantialis non euanescens. Item ἀπαύγασμα gloriæ seu fulgor claritatis seu lucis paternæ, vt dicit Symbolum Nicenum: Φῶς ἐκ φωτός. Discamus igitur infinitum discrimen esse inter nostras imagines, & inter imaginem Dei substantialem. Mens humana cogitans aliquid, pingit rei cogitatæ imaginem, vt quoties cogitamus homines notos absentes, mente quasi delineamus corporum figuras. Talis imago in nobis dicitur λόγος, verbum mentis, vt vsitatè in scholis dici solet. Sed nos non transfundimus substantiam in imagines illas in mente formatas, quæ re ipsa sunt in nobis subitæ & euanescentes actiones. At Pater æternus seſe intuens & perfectè cognoscens, cogitatione illa gignit imaginem suam, non euanescentem, sed ὑφισαμένην & ὁμοούσιον. Tom. 2. oper. 316. Itẽ in en. ep. ad Col. To. 4. op. 336. & in postr. parte ar. Bau, Tom. 1. oper. 386. & alibi passim.

EST & hoc argumentum Samosateni, Photini, Serueti & similium. Sed rursus opponenda est regula: Talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse à prædicatis non absurdè sed dextrè intellectis. Vt igitur in appellatione λόγου certa significatio sumenda est ex collatione membrorum in exordio Iohannis: Ita cùm Filius nominatur imago: intelligatur

non vmbra, seu pictura, seu cogitatio euanescens, vt cùm de nostris imaginibus loquimur, sed imago substantialis. Quia cætera membra, quæ adduntur apud Paulum, & collatio aliarum appellationum Filij conuincunt, intelligi oportere Personam seu ὑφισάμενον. Declaratio autem huius nominis congruit cum appellatione τῦ λόγυ. Dicitur imago respectu Patris & respectu nostri. Nam pater sese perfectè intelligit, cùm sese intuetur. In ea cogitatione fulget integra & substantialis imago æterni Patris: Sapiens, verax, benefica, iusta, casta, misericors. Deinde Filius, annuntiando Euangelium ostendit arcanam voluntatem Patris. Nec dissimiles sunt voluntates Filij & æterni Patris. Idque plenum est consolationis, promissio gratiæ edita per Filium est vniuersalis. Cùm igitur Filius sit imago æterni patris, non cogitetur alia & dissimilis esse argana voluntas Patris.

ARGVMENTVM V.

¶ Modus generationis Filij arcanum mysterium est, superans omnium creaturarum captum.

Non est igitur opus de generatione Filij æterna contendere, neque ratio inquirenda est, cur Filius nominetur λόγος & imago respectu æternæ generationis à Patre.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. op. 399. b.

Non solùm modus generationis æternæ arcanum mysterium est: Sed ipsa etiam assueratio de generatione Filij procul extra humanæ rationis conspectum posita est. Quia humanæ rationi hæc valde absurda & tetra videntur,

videntur: Deum generare, & plures esse personas coæternas & omnipotentes. Nec tantùm humanæ rationis imbecillitas per sese cogitatione rei tantæ turbatur: Sed etiam Diabolus odio Filij Dei irritat leuia ingenia, vt opiniones gignant, amplectantur, & spargant contumeliosas aduersus Deum, & palam abijciant Prophetarum & Apostolorum doctrinam, vt fecit Mahometus, aut eludant vera testimonia.

Aduersus hos horrendos furores primum vera doctrina munienda sunt mentes. Deinde & singuli assiduis & ardentibus votis petamus regi nostras mentes à Deo, ne languefactæ amittant veram lucem. Vtroque autem genere testimoniorum nos confirmemus, videlicet dictis Propheticis & Apostolicis, & deinde vero ac constanti consensu veteris Ecclesiæ, quæ perspicuè affirmat, agitatis controuersiis de Filio Dei sic intellecta esse Apostolorum testimonia, & ab ipsis Apostolis, & ab eorum auditoribus fideliter hanc sententiam initiò propagatam esse per probatos doctores, videlicet Filium Dei vnigenitum dici λόγον & imaginem æterni Patris, quia verè de substantia æterni Patris natus est, & hunc naturæ Deum & omnipotentem esse.

FAllacia est à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Item à non causa vt causa. Non enim sequitur: modus generationis Filij à nulla creatura satis intelligi potest. Ergo ipsa assueratio de generatione Filij abijcienda est. Ita nõ sequitur: modus generationis Filij est ἄῤῥητος seu inexplicabilis. Ergo non est assentiendum scripturæ, & piæ vetustati, docenti Filium nominari λόγον & imaginem Patris hoc respectu, quia sit genitus à Patre intuente se. Similiter enim ratiocinari prophana ingenia possent, Ne quia dem vnigeniti Filij appellationem intelligendam esse

de generatione ex substantia Patris. Quia modus huius generationis sit imperscrutabilis. Nostra ætate in Ecclesijs harum regionum primus certamen de appellatione τῦ λόγυ contra Philippum mouit Flacius Illyricus, per insidias ac fraudulenter initio disputans contra piæ vetustatis declarationem, cùm in vrbe Parthenope adhuc lateret, vt literæ eius testantur. Tandem in volumine glossæ compendiariæ in nouum Testamentum, cum summa temeritate & impudentia, his verbis & veterum scriptorum genuinam sententiam deprauare, & impietatem suam manifestè prodere ausus est: Quidam, inquit, docuerunt, ideo vocari λὸγον, quia gignatur à Patre cogitatione aut contemplatione sui, fingentis imaginem suam, eique substantiam communicantis. Quod cùm veterum hæreticorum fœdissimum inuentum est, tùm verbi Dei testimonio caret, tùm à Patribus iam olim vehementer damnatum est, tum denique grauioribus etiam erroribus occasionem præbere posset. Quis hîc non animaduertat audaciam hominis coniunctam cum insigni impudentia? Non veretur enim Orthodoxorùm patrum sententias veras, & iam inde ab Apostolis ad hæc vsque tempora constanter in Ecclesia propagatas de λόγῳ ὑφισαμένῳ, & de causa cur respectu Patris nominetur λόγ☉: scelerate confundere ac miscere cum impijs & blasphemis hæreticorum imaginationibus, qui λόγον dixerunt ante natiuitatem ex virgine non fuisse personam subsistentem, distinctam à Patre, sed tantùm ideam in mente Dei, seu cogitationem & decretum Dei fuisse, perinde vt in nobis λόγ☉ seu cogitatio mentis non est quiddam ὑφισάμενον. Cùm his blasphemijs Sabellii, Samosateni, Photini, Serueti, & similium conferre, atque insolenter reijcere, & condemnare audet Flacius orthodoxæ Ecclesiæ sententiam, qua piè & rectè dicitur: λόγον sic vocari, quia sit imago Patris cogitatione genita, nec tamen euanescens imago, sed λόγ☉

λόγ☉ ἐνσιώδης, vt Ignatius loquitur, & ὁμούσι☉ καὶ συναΐδι☉ τῷ πατρὶ. Sed quam causam appellationis τῦ λόγυ Flacius profert? Filius, inquit, per quãdam metaphoram vocatur λόγ☉. Sicut simili fortè Hebraismo dici posset Baptista nominatus vox.

Hæc verba Flacij an non multò verius cum Antitrinitariorum blasphemijs cõgruunt? Sic enim Lælius Socinus apertus æterni Filij Dei hostis, in impia sua interpretatione in primum caput Euangelij secundum Iohannem scripsit: μεταφορικῶς & μεϛωνυμικῶς appellatum fuisse à Iohanne λόγον. Et omnia, inquit, nomina seu cognomina, quæ Christo imposita inueniuntur, non propter naturam eius aliquam sine substantiam diuinam & æternam: sed solummodo ob eius munus ac potestatem, admirandaque opera ab ipso patrata, illi fuerunt indita. Et paulò post. Etiam Iohannes Baptista vocatus fuit vox: nullo tamen modo nomen hoc substantiam siue naturam significat, sed tantùm officium docendi. Et Aaron datus Moysi pro ore. Neque tamẽ Aaron substantia erat Moysis: sic inquit, Christus homo vocatur à Iohanne λόγ☉, tantum propter officium docendi, & patefaciendi voluntatem Dei. Cum his Lælij Socini verbis si Flacij Illyrici interpretatio conferatur: an non vel ex lacunis Antitrinitariorum hausta, vel de industria ad horum blasphemias stabiliendas accommodata esse videbitur? Sed hac de re monuisse hoc loco lectorem satis sit. Nam integra harum blasphemiarum refutatio alterius est loci atque temporis.

ARGVMENTVM VI.

¶In mysterijs diuinis nefas est absque manifestis Scripturæ testimonijs aliquid asseuerare.

Non est autem in Scriptura sacra expres-

sum, Filium nasci cogitatione Patris.
Ergo non est ferendum in Ecclesia, vt dicatur, Filium propterea λόγον nominari, quia sit imago. quàm Pater sese intuens atque considerans ab æterno gignit.

RESPONSIO.

In loc. Theol. de Filio. To. 3. op. 152. Et in postrema part. resp. 2 d art. Bauar. To. 1. oper. 386. Item in omnibus e part. Sym. Nic. de Filio.

Constat has appellationes Filij, quòd sit λόγος & imago Patris, expressas esse in manifestis testimonijs Iohannis & Pauli. Sic enim describitur Filius: Iohan. 1. nominatur λόγος. In Epistola ad Coloss. vocatur imago Dei. In Epist. ad Hebræos, vocatur splendor gloriæ, & effigies seu expressa imago substantiæ Patris. Ac loqui hos textus de natura diuina Filij manifestum est. Quia vbique hoc additur: Omnia per eum condita esse. In Symbolo dicitur: Lumen de lumine. Harum appellationum collatio declarat eas. Et quanquam in creaturis nihil huius generationis prorsus simile est: tamen cùm Deus vtatur appellationibus humanis: aliquo modo vmbras tantæ rei in nobis considerari vult. Ideo pia & orthodoxa vetustas, in declaratione similitudinem sumsit ab anima hominis. Voluit enim Deus in homine conspici vestigia sua, & si natura hominis retinuisset primã lucem, speculum esset diuinæ naturæ minus obscurum. Nunc in hac caligine tamen aliqua notari vestigia possunt. Sunt in anima hominis mẽs, cogitatio, quæ est imago rei cogitatæ, & motus, qui est impulsio Spirituum.

Hæc præcipua in nobis ipsis vtcunque conßderemus, & sciamus reuera mirandã fabricationẽ Dei esse, quæ in hac infirmitate non satis perspici potest. Sed tamen commonefactio de Deo est. Aeternus Pater est velut mens. Hic sese intuens, & perfectè cognoscens, cogitatione illa gignit imaginem suam, in qua lucent Patris sapientia & bonitas.

Cùm hac appellatione imaginis congruit altera appellatio λόγος: Quia imago genita cogitatione est λόγος.

Hac declaratione plurimum veteres vsi sunt: Basilius, Nazianzenus, Augustinus, & alij multi. Estq; hæc declaratio à veteribus scriptoribus tradita, piè, reuerenter, & sine cauillatione consideranda. Et tamen discerni Filium, qui est λόγος ὑφισάμενος, ἢ εἰκὼν τοῦ πατρὸς ὑφισαμένη ἢ ὁμοίωσις, à sonis externis significantibus, & à nostris cogitationibus in infinitum oportet.

Quòd si omnino similitudine aliqua non est vtendum in declarando hoc mysterio generationis Filij: Ne quidem ipsa Filij appellatio intelligi poterit: De qua tamen necesse est, hanc declarationem retineri.

Vt in natura hominum, Filium dicimus genitum de substantia Patris: Ita secunda persona diuinitatis Filius dicitur, quia de substantia Patris natus est, & est eius imago.

IN minore est fallacia secundum quid. Quia etsi in scriptura modus generationis Filij non disertè exprimitur his ipsis syllabis & literis: Tamen non esse à pia vetustate, quòd λόγος hic dicatur, quia sit imago genita à Patre intuente se: collatio appellationum Filij ostendit, quæ nos ad considerationem similitudinis in anima hominis deducunt. Paulus enim nominat Imaginem, Ioannes λόγον. Has appellationes manifestum est propriè pertinere non tam ad officij seu actionum erga creaturas respectum: quàm ad naturam & essentiam diuinam Filij, Qui sic nominatur, antequam de conditione creaturarũ, aut de

prolato Euangelio fiat mentio, in illa arcana collatione æterni Patris, & Filij: in qua necesse est considerari generationem Filij, qui hac proprietate incommunicabili discernitur à Patre, in tota æternitate.

Hoc internum discrimen Patris, & Filij, cùm aliquo modo à nobis agnosci Deus velit, nostris vocabulis vsus est. At vt discernatur generatio Filij à generatione, qualis est in corporea natura animantium, vocabula illa sumsit ab anima hominis: Vt ex natura mentis, quæ facta est ad imaginem Dei, sumamus vmbram qualemcunque generationis Filij. Quid est autem Verbum, nisi aliquid genitum cogitatione? Rursus quid est imago cogitatione genita aliud, quam quod nominatur λόγος? Hæc sunt in natura nostra admiranda vestigia Dei. Cúmque certa vocabulorum significatio constituenda sit, quibus vox diuina singulari consilio vti voluit: non sunt reprehendendi Scriptores orthodoxi veteres ac recentes, qui in declaratione vocabulorum τοῦ λόγου & imaginis, quæ Filio Dei propter æternam generationem tribuuntur, similitudinem sumserunt ab ijs, quæ in natura mentis nostræ fieri scimus, etsi quomodo fiant nondum prorsus intelligimus. Neque verò collationibus huiusmodi vetustas ideo vsa est, quòd modus generationis Filij oratione vlla explicari satis possit. Sed vt aliquo modo appellationes enarrare discamus, quibus Scriptura non frustra de Filio vtitur. Cùm Filius à Paulo nominatur ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς: tota vetustas ex natura lucis imaginem sumsit, vt aliquo modo ostenderet: Filium esse lumen de lumine: Deum verum de Deo vero. Non enim delet hoc ex natura rerum, vox diuina, quòd radius sit fulgor transmissus à luce. Ita non delet in nobis, quòd imagines à mente formentur cogitatione, & quòd verba sint imagines rerum cogitatarũ. Hinc piè ac reuerenter vetustas ratiocinata est: Cùm Filium respectu æternæ generationis λόγον & imaginẽ dici cõstet: & imago genita cogitatione

tatione sit λόγος: & λόγος seu Verbum sit aliquid cogitatione genitum: rectè inde sequi, propterea Scripturam vsam esse de Filio Dei his nostris vocabulis, vt aliquo modo agnoscamus, Filium nasci à Patre se intuente ac cogitante. Simul autem prudenter considerari vetus Ecclesia voluit, non omnia in hac similitudine congruere. Mens humana non perfectè se intuetur, nec cognoscit seipsam penitus. Deinde non transfundit essentiam suam in imagines quam format cogitando. At Pater æternus perfectè se intuetur: Et gignit imaginem sui viuam & subsistentem, communicata ipsi essentia. Huius declarationis plærique ex vetustissimis scriptoribus meminere, Iustinus Martyr. Tertullianus, Athanasius, Basilius, Nazianzenus, Augustinus, Cyrillus, Fulgentius, quos sine graui causa reijcere & aspernari, verè βλακικὸν est.

ARGVMENTVM VII.

¶ Non sunt confirmandi errores Samosatenici & Seruetici, nec occasio præbenda est nouis erroribus fingendis.

Confirmantur autem Samosateni & Serueti errores: Item semina multarum absurdarum opinionum sparguntur, posita hac sententia, quòd Pater Filium cogitatione suagenuerit.

Non est igitur hæc sententia toleranda in Ecclesia.

Probatio minoris est: Etiam Samosatenus & Seruetiani dicunt, Filium esse cogitationem Patris. Etsi Pater intuens atque considerans semetipsum, gignit imaginem sui, quæ est Filius: sequitur plures

ipsum filios gignere. Sequitur & hoc, Filium & Spiritum sanctum eodem modo gignere ex sese alias personas. Quia & Filius & Spiritus sanctus habent reflexam actionem, & sese intuentur. Ita verò non poterit certus numerus personarum constitui.

RESPONSIO.

Scio contra appellationem τῦ λόγυ multa & olim disputata esse, & hoc tempore moueri. Nec sum adeò rudis historiarum, vt Samosateni & aliorum certamina nesciam, nec adeò stolidus sum, vt mihi nullæ πιθανολογίαι in mentem veniant. Sed retineo inuocationem Filij Dei, & expresse Serueticos furores reijcio atq; detestor. At, inquis, si cogitatione nascitur Filius: erunt innumerabiles. Vnicus est Filius æterni Patris, quem affirmant Scripta Apostolica esse εἰκόνα æterni Patris, & χαρακτῆρα ὑποστάσεως τῦ πατρὸς. Has appellationes tota vetustas interpretatur, vt in meis Scriptis recito, cumq; notæ sint explicationes vetustæ, longiorem commemorationem omitto. Scio homines astutos, qui doctrinam Ecclesiæ aspernantur, non difficulter inuenire quod opponant. Et hoc seculum delectatur profanis disputationibus, sed Deo iuuante nunquam abijciam inuocationẽ Filij Dei, nec discedam à Symbolis, Apostolico, & Niceno congruentibus. Memini Flacium ante annos aliquot reprehendere formam nostræ inuocationis (Omnipotens Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator cũ Filio tuo, λόγῳ καὶ εἰκόνι σῦ ἀϊδίῳ & Spiritu sancto.) Mirabar cur reprehenderet, nec tamen quidquam mali suspicatus sum. Nunc video quas disputationes moueat.

In

IN probatione minoris primùm confusio est disparatorum. Samosatenus, quem sequutus est Seruetus, ideo putauit Christum appellatum fuisse λόγον, quòd ante natiuitatem ex virgine nihil esset reipsa subsistens: sed tantùm idea in mente Dei, seu cogitatio & decretum Dei de hoc homine certo tempore creando sine peccato, & omni gratia & veritate, atque adeo suæ deitatis virtute implendo, & supra omnes alias creaturas exaltando, & seruatore mundi constituendo. Vt enim λόγος noster siue in mente siue prolatus, non est aliquid ὑφισάμενον: sic iudicauit Christum, cùm nondum esset homo, sed tantùm λόγος, non fuisse aliquid ὑφισάμενον, sed quandam futuri Christi in mente Dei Patris ideam. Cùm hac blasphema hæreticorum opinione adeo nihil commune habet vera & orthodoxa appellationis τῦ λόγυ, quod ad respectum æternæ generationis attinet, declaratio vt inde potius euidenter refutari hæreticorum illorum blasphemiæ possint. Nam hæc ipsa declaratio ostendit Filium Dei λόγον esse Dei Patris, non velut ideam quandam in mente Patris delitescentem, neque vt sermonem prolatitium & in aera euanescentem, sed subsistantialem, non in tempore prolatum, sed ab omni æternitate ex Patris substantia genitum, Patri per omnia æqualem, ideoque personam vere subsistentem, viuam, intelligentem, & incommunicabili proprietate distinctam à Patre, quæ cum Patre condidit vniuersa, & postea semper generi humano affuit, quam & Patres inuocarunt, & quæ certo tempore assumsit massam humanæ naturæ ex matre Maria virgine, & sedens ad dextram Dei perpetuò sibi ex genere humano Ecclesiam colligit, &c. Deinde in altero membro pertinente ad probationem minoris in Argumento propositio, nulla est firma connexio antecedentis & consequentis in hypothetica propositione. Non enim sequitur: Pater gignit Fi-

lium. Ergo & Filius gignit aliũ Filium. Item: Pater seipsum intuens, gignit imaginem suam, quæ est Filius. Ergo & Filius & Spiritus sanctus, cùm habeant actum reflexum & se intelligant, tali intuitione sui, vt Flacius loquitur, gignunt alias imagines sui. Ratio autem cur hæc consequentia nata ex prophanis & impijs speculationibus, vitiosa sit, perspicua & manifesta est: Quia de Deo sic est sentiendum, sicut ipse se patefecit certo verbo & testimonijs diuinis. Nominat autem Scriptura vnicum Filium, imaginẽ Patris coæternam. Non igitur cæca ratio nostra plures fingere debet. Nusquam enim hoc patefactum est, quòd Filius aut Spiritus sanctus alias imagines sui gignant. Sed solus Filius nominatur verbum & imago Patris genita à Patre. Et Pater immediatè per hunc Filium edit decretum de ordine creationis & redemtionis hominum. Intra has metas diuinitus nobis circumdatas maneamus, & piè ac religiosè de ijs, quæ à Deo patefacta sunt, cogitemus, sine sophistica & curiosis speculationibus.

ARGVMENTVM VIII.

¶ Appellatio λόγου declarari potest etiamsi dicatur ideò tantùm sic nominari Filius, quia sit persona missa ad proferendum decretum redemtionis ex arcano consilio diuinitatis, & semper loquens in Ecclesia & Patrem ostendens.

Non est igitur in appellatione τοῦ λογου quærendum de æterna generatione Filij.

RESPONSIO.

In postr. part. resp. *Vera est declaratio, qua & Nazianzenus vtitur, dici λόγον ὅτι ἐξαγγελτικὸς ἐστὶ, id est, quia est persona immediatè proferens Euangelium ex sinu æterni Patris, alloquens Patres, conseruans ministerium Euangelij, & immediatè in eo efficax est, ostendens Patrem. Et congruit huc dictum: πλὴν ἀρχὴν ὅτι κὴ λαλῶ ὑμῖν. Estq; hæc declaratio περὶ λόγου valde dulcis piè eam consideranti. Quid enim dulcius est, quàm quòd ipse se alloquitur Filius, qui adest in ministerio externo Euangelij? Sicut apud Esaiam dicitur: Ego qui loquor, ecce adsum. Hic Filius est verax legatus, & profert verissimè quod sentit Pater, verè adest in Ecclesia, exaudit, & est efficax in consolatione, quæ sonat in externo ministerio.*

ad art. Bauar. To. 1. ope. 386. b In quæst. cur Filius nominetur λόγος in fine 4. To. decla. Ph. Pag. 900.

Etsi autem hæc declaratio appellationum λόγου & imaginis minus obscura est, quàm altera, & valde dulcis, tamen rationes graues sunt, cur appellatio λόγου non tantùm respectu nostri, sed etiam respectu Patris intelligenda sit. Est enim Patris causa λόγος natus, & esset, etiamsi mundus nunquam conditus esset. Deinde sermo in creatione & promulgatione Euangelij non est integra imago æterni Patris. Ideo dicitur & λόγος & imago, quatenus in eo integrè lucet Pater, sicut in symbolo dicitur: Lumen de lumine. Maximè autem optandum erat, de hac quæstione, Cur Filius Dei dicatur λόγος, viros doctos posse colloqui. Quanta fuerit in re tanta explicanda negligentia multorum, non sine magno dolore à pijs cogitare potest. Nunc colloquendi libertas etiam tollitur ab illis ipsis, qui se vindices libertatis esse gloriantur.

FAllacia est, à non causa vt causa, vt si dicas: Nomen Iehouæ declarari potest, si referatur ad efficaciam in creaturis: Quia Iehoua est qui dat & con-

seruat essentiam, vitam & motum omnibus rebus creatis, iuxta dictum: in ipso sumus, viuimus & mouemur. Ergo nomen Iehouæ non pertinet ad descriptionem ipsius essentiæ diuinæ, quæ secundum se se ab æterno subsistit, etiam sine respectu vllo ad creaturas. Hîc manifestum est admitti Paralogismum, qui dicitur, Non causa vt causa. Sunt enim plures causæ, cur verus Deus patefactus in Ecclesia nominetur Iehoua, videlicet, Quia in se & per se subsistit, non accepta aliunde in tempore diuinitate, aut subsistentia. Deinde quia cæteræ res omnes ab ipso habent vt sint. Postremò quia verè atque infallibiliter efficit vt sint ac fiant, quæ promisit, vt alibi copiosius dicitur. Eodem modo in argumento proposito neganda est consequentia, Filius nominatur λόγος respectu nostri. Ergo non respectu Patris. Quòd enim hæc appellatio Filij sic intelligenda sit, vt fiat collatio Patris, & Filij in illa æterna & arcana generatione, ipsi scripturæ textus ostendunt. Cùm enim à Iohanne Filius ὁ λόγος nominetur antequam creationis vlla fiat mentio, & hoc nomine discernatur à persona Patris: necesse est hanc appellationem præcipuè non tam ad officium, seu actiones erga creaturas referri, quàm ad descriptionem personæ Filij. qui hac incommunicabili proprietate à persona Patris in tota æternitate differt, quòd est imago Patris, genita à Patre. Sic enim inquit Iohannes: In principio erat ὁ λόγος, & ὁ λόγος erat apud Deum, & Deus erat ὁ λόγος: Hic erat in principio apud Deum. Hæc prima pars exordij in Euangelio Iohannis, sine omni dubitatione de æternitate Filij Dei docet, & naturam atque substantiam ipsius describit, personam Filij & Patris secundum proprietatem interiorem discernit. Postea narratio sequitur de creatione omnium rerum ex nihilo, in qua diuina potentia τῷ λόγῳ primùm patefacta est. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est. Mox & beneficia τῷ λόγῳ commemorantur, quæ ad instaurationem ac reparationem generis humani post lapsum pertinent. In Ipso vita erat, & vita erat lux hominum, &c. Sic & 1. Iohan. 5. (vbi intra sese personæ diuinitatis discernuntur) Filius expressè λόγος nominatur, non tam vt officium eius erga creaturas hac appellatione describatur, quàm vt monstretur interior proprietas characteristica, qua à Patre & Spiritu sancto persona Filij discernenda est. Ita enim inquit: Tres sunt, qui testificantur in cœlo, Pater, λόγος, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Præterea in Apocalypsi Iohannis (qui liber in tanta olim existimatione fuit habitus, vt Iustinus etiam & Irenæus vetustissimi Scriptores, in Apocalypsin commentarios ediderint: Imò & Epiphanius expresse ἀλόγους nominet, qui vel Euangelium vel Apocalypsin Iohannis reijciant) non simpliciter Filius Dei ὁ λόγος appellatur: sed aliquoties disertè atque expressè vocatur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Quod nomē & Ignatius, discipulus Iohannis Apostoli, crebro repetit, vt cùm in epistola ad Magnesios, inquit: Vnus est Deus omnipotens, qui se patefecit per Iesum Christum Filium suum, ὅς ἐστὶν αὐτοῦ λόγος οὐ ῥητὸς ἀλλ' οὐσιώδης. οὐ γὰρ ἐστὶ λαλιᾶς ἐνάρθρου φώνημα, ἀλλ' ἐνεργείας θείκης οὐσία γεννητή, &c. Qui est Verbum ipsius, non à voce, sed à substantia Dei existens. Non enim compositam orationis vocem significat, sed diuinæ operationis genitam substantiam, &c. Et Basilius contra Ennomium inquit: λόγον ἔδειξαν οἱ πατέρες, λόγον θεοῦ προσεκύνουν, ᾧ σύν λόγῳ τὸ πνεῦμα. Quin & Theodoretus sæpe hoc vrget: οὐ γὰρ ἁπλῶς λόγος ὠνόμασται, ἀλλὰ θεὸς λόγος. Accedit huc, quòd Paulus quoque appellationē imaginis ita Filio tribuit, vt nominatim addat, Eum esse εἰκόνα τοῦ θεοῦ ἀοράτου. Item, vt affirmet esse χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρός. Hinc firmissi-

mè sequitur has appellationes τῦ λόγυ καὶ εἰκόνος, cùm Filio tribuuntur, præcipuè pertinere ad monstrandum interius discrimen Patris & Filij. Et sic scripsit Cyrillus in 7. thesau. Vocabulo λόγος maximè ipsum esse Filij, prout homines percipere possent, significari. Idque necesse est considerari, ne fenestra patefiat Samosatenicis & Arianis furoribus, qui fingunt, Filium tantùm creaturam esse, cuius ministerio Deus opera sua in mundo perfecerit. Aduersus hos furores firmissima fide tenendum est, λόγον ab æterno esse, & quidem Patris causa natum esse: seu Filium esse propter Patrem, non propter creaturas. Et tenendum est discrimen inter hanc propositionem: Filius est λόγος ab æterno, respectu Patris: Quia propositio simpliciter necessaria est necessitate absoluta, vt in scholis loquimur: & inter alteram, quæ respectum ad creaturas complectitur: Filius est λόγος, quia per ipsum omnia sunt condita, & quia protulit Euangelium ex sinu Patris, quæ oratio necessaria est necessitate consequentiæ. Nam generatio æterna, propter quam Filius Dei nominatur λόγος & imago Patris æterni: interna & naturalis est actio Patris, vt vetustas locuta est, non voluntaria seu contingens, quales sunt actiones, quæ fiunt ad extra, quæ natura sua poterant non esse: sicut hic mundus libertima voluntate Dei conditus est, tunc cùm Deus voluit eum condere. At Filius verè ab æterno est λόγος ὑφισάμενος, quia Pater naturaliter genuit hanc substantialem imaginem suam, & esset filius etiamsi hic mundus nunquam esset conditus.

ARGVMENTVM IX.

¶ Stenckfeldius extenuans dignitatem externi ministerij, potissimum hoc fundamento nititur, quòd verbum Dei propriè loquendo sit Filius Dei, & quòd scripta

pta Prophetica & Apostolica: Item vox in ministerio sonans, improprie appelletur verbum Dei. Hinc enim raciocinatur: si Filius proprie sit verbum Dei: consentaneum esse per hoc ipsum verbum potius efficacem esse Patrem, quàm per lectionem literarum sacrarum, aut per blæsam & raucam vocem ministri verba ad populum facientis.

Non est autem confirmandus hic error pernitiosus Stenckfeldij.

Ergo cùm appellatio τῦ λόγυ tribuitur Filio Dei, non propriè seu essentialiter, sed figurata prædicatione describtio accipienda est, videlicet κατὰ μεταφοράν, vt cùm Baptista nominatur vox, id est, minister sonans vocem doctrinæ.

RESPONSIO.

Vt si quis reti ventos venari conetur: ita fit in refutandis sophistis. Semper inueniunt, quò euadant. Ideo difficilia nunc sunt certamina: Sed pia mentes sint dociles, & agnita veritate non faciant sibi noua vulnera, verum obtemperent Deo, & in vera lætitia & gratitudine eum celebrent, sicut scriptum est: Si non credetis, non eritis securi. Eludit Stenckfeldius dicta de verbo scripto & sonante in ministerio. & vbique Filium vult intelligi, vbicunque fit mentio verbi, vt cùm dicitur, Sermo Christi habitet inter vos abundè. Item: Sanctifica eos verbo: interpretatur Stenckfeldius de ipso Filio Dei. Subinde etiam vociferatur, homines conuerti, renasci,

In propo. Phi. Tom. 4. op. 582. Et in Epistola Phi. ad pastorem Barbiensem.

consolatione erigi, sanctificari, Deo agente in cordibus sine medio, nec ministerium Euangelij seu cogitationem scripti verbi medium esse, per quod agat Deus.

Hæc deliria Stenkfeldiana perspicuè refutari posse affirmo sine Samosatenicis & Serueticis auxilijs. Dicitur de ministerio: Ex ore infantium & lactentium perfecisti tibi laudem. In eo ministerio Filius caput est non ociosum, vt dicitur: Ego sum vitis, vos palmites. Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Nec reijcio Augustini dictum de Filio: Quotidie mittitur sapientia, vt sit cum homine. Nec tamē inde Stenckfeldiana sequuntur, quæ tollunt externum ministerium. Nam Filius Dei trahit, conuertit, regenerat, consolatur, sanctificat homines per medium ab ipso traditū, scilicet per Euangelij vocem auditam, seu lectam & cogitatam. Et propter hanc tantam causam institutum, mandatum, & confirmatum est ministerium Euangelij, vt sit medium, quo Deus sit in nobis efficax. Etsi autē verbi Dei appellatio tribuitur & Filio Dei, & doctrinæ per Filium ipsum & Prophetas & Apostolos traditæ: tamen discerni Filium, qui est λόγος ὑφισάμενος & imago æterni Patris integra, à sonis externis significantibus in infinitum oportet. Et considerandum est, vbi disertè Scriptura de Filio loquatur, vbi de doctrina & voce reuelata. Hæc Stenckfeldius multipliciter confundit, qui negat externa voce Euangelij Deum efficacem esse.

PRimùm fallacia est accidentis, vt si dicas: Multi Epicuræi gratiam Dei vertunt in ἀσέλγειαν, vt Apostolus conqueritur. Ergo doctrina de gratuita Dei misericordia non est ferenda in Ecclesia. Hîc omnes sani intelligunt, non valere cōsequentiam. Quia propter abusum rei bonæ, res ipsa non est damnanda.

Ita

Ita non sequitur: Stenckfeldius abutitur doctrina de Filio Dei, qui verè ac propriè nominatur λόγος. Ergo hæc vera explicatio seu doctrina de Filio Dei abijcienda est. Præterea in ipso argumento Stenckfeldij fallacia est à non causa vt causa: Filius Dei est λόγος seu imago Dei substantialis, in qua lucet tota essentia Dei. Deinde persona est, per quam Pater dicit decretum de toto ordine creationis & reparationis hominum, & per quam est efficax in collectione Ecclesiæ: Estque κύριον ἄιτιον, & causa principalis, quæ dato Spiritu sancto efficit generationem hominis. Sed non sine medio agit nobiscum in hac vita, sed per Euangelij cognitionem conuertit homines, & non aliter. Ita verbum scriptum est instrumentalis causa, iuxta dictum: Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, organum seu instrumentum, per quod Filius Dei est efficax in credentibus in hac vita. Non igitur pugnant hæc inter se: Deus per Filium λόγον est efficax: Item: Deus est efficax per verbum sonans in ministerio. Quia diuersi gradus causarum significantur. Est & hæc commonefactio non negligenda: Prudenter discernenda sunt dicta Scripturæ, & considerandum est, vbi fiat mentio doctrinæ diuinitus traditæ; vbi verò describatur λόγος ὑφισάμενος, & detestanda est petulantia & sophistica Stenckfeldij, in eludendis manifestis testimonijs, quę dignitatem & vsum ministerij verbi commendant, quod horribili ingratitudine Stenckfeldius extenuat & abijcit.

ARGVMENTVM X.

¶ Iohan 1. dicitur de singulis credentibus: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Est igitur Christo nomen Filij Dei commune cum alijs sanctis: Neque ex appella-

tione Filij Dei firmiter concludi poteſt, Chriſtum natura Deum eſſe, eiuſdem videlicet cum Patre naturæ ſeu eſſentiæ.

RESPONSIO.

In loc. Theol. de Filio. To. 1. op. 152.

Neceſſe eſt fateri Chriſtum eſſe natura Filium Dei. Quia Euangelium diſcernit filios adoptionis à filio Chriſto. Iohannes enim vocat Chriſtum Vnigenitum Filium, cap. 1. Vidimus gloriam eius quaſi vnigeniti à Patre, Et, Filius vnigenitus qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Cùm igitur ſit natura Filius, neceſſe eſt de ſubſtantia Patris genitum eſſe. Et ſic loquitur Pſalmus 2. de generatione Filij, qua verè ex ſubſtantia Patris genitus eſt: Ego hodie, id eſt, ab æterno genui te, ſcilicet vera generatione, & mea ſubſtantia. At homines renati nominantur filij adoptionis, quia propter Vnigenitum diliguntur, quia factus eſt frater noſter aſſumta humana natura, vt nos viciſſim efficeremur fratres ipſius, videlicet participes diuinæ naturæ. Et tamen alia eſt eſſentia creata hominis, & alia eſt diuinitatis eſſentia, quæ ſeparabiliter eſt in renatis, qui ſunt templa Dei.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. op. 399. b.

Tom. 2. oper. 326.

FAllacia eſt æquiuocationis. Nomen Filij aliquando, vt Dialectici loquuntur, ὁμονύμως prædicatur aliquando συνονύμως. propriè filij ſunt, qui ex ſubſtantia alicuius procreati, patris in ſe naturam ſeruant, vt Iſaac natus ex Abraham. Alij ſunt lege aut adoptione filij, cùm qui natura filius non erat, pro filio ſuſcipitur & habetur, vt Eleazar Damaſcenus deſtinatus erat ab Abrahamo adhuc orbo filius, quem ſibi adoptaret. Interdum etiam καταχρηςικῶς, magiſtrorum filij dicuntur diſcipuli, & qui alicuius inſtituta ſequũtur, vt cùm in ſacris literis diſcipuli prophetarum nominantur ipſorum filij. Sunt autem Angeli, & homines credentes, filij Dei gratia & adoptione. At Chriſtus verus & natura Dei Filius eſt. Ideoque Vnigenitus & proprius, & ἀγαπητὸς, id eſt, ex ſtorge naturali dilectus. Item vnicus, & naturalis Filius Dei nominatur, per & propter quem cæteri quoque adoptantur, vt ſint filij κεχαριτωμένοι, id eſt, dilecti ex miſericordia ſeu per gratiam recepti & donati Chriſti donis. Quare longè aliter Chriſto nomen Filij Dei tribuitur, aliter Angelis & hominibus ſanctis. Idque autor Epiſt. ad Hebr. ſignificat cap. 1. inquiens: Cui dixit vnquam Angelorum, Filius meus es tu, Ego hodie genui te?

DE NATVRA DIVINA IN CHRISTO.

ARGVMENTVM I.

¶ In Græca lectione Salomonis Prou. 8. ſcriptum eſt de ſapientia: Deus creauit me initium viarum ſuarum.

Ergo rectè Ariani contendunt, Filium eſſe plaſma ἐξ μὴ ὄντων, id eſt, rem creatam ex nihilo.

RESPONSIO.

In enarra. Prouerb. Salomon. Tom. 2. oper. 387.

CVm Sapientia æterna & immota, quæ eſt in ipſo Deo, reuelata ſit voce legis & Euangelij: & ſit reuelata per ipſum Filium, per quem Pater dicit decreta de ordine creationis & reparationis hominum: vetuſtas apud Salomonem intellexit ſapientiam,

In enarra. Sym. Nic. ibid. 314.

non tantùm de verbo reuelato in Ecclesia, de lege Dei, & de Euangelio: sed etiam de ipso Filio Dei, qui est Sapientia Patris, loquens ad Ecclesiam. Hanc sententiam rectè intellectam probo. Quòd autem Ariani falsò excerpserunt quædam dicta, vt confirmarent, Filium esse creaturam: & hæc imprimis verba sæpe citarunt: Dominus creauit me initio viarum suarum: sciendum est, in Hebraica lectione verbum Possidendi, non creandi positum esse. Sic enim in Hebræo textu legitur: Dominus possedit me initio viarum suarum, id est, operum & consiliorum. Refutari autem Ariani & ex continua serie narrationis possunt. Vt enim in Iohanne scriptum est: In principio erat Verbum: Ita apud Salomonem dulcissime dicitur: Dominus possedit me initio. Item ante secula ordinata sum. Deinde sicut Iohannes inquit: Omnia per λόγον facta sunt. Ita & hîc dicitur: Fui cum eo artifex. Postea vt Iohannes ait: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis: Ita hîc dicitur: Delectationes meæ cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me, &c. Quia enim idem Filius est per quem dicitur decretum de ordine creationis & reparationis hominis: Ideo Salomon hîc eodem nomine sapientiam creantem, & edentem legem & Euangelium nominat.

Hæc tota descriptio congruens cum primo capite Iohannis, testatur Filium esse Personam, quæ sit ab æterno per quam omnia facta sunt. Item, quæ missa est ad Ecclesiam, per quam immediatè profertur promissio, quæ perpetuò præsens est in Ecclesia. Adest immediatè verbo vocali, & per illud est efficax. Valde autem dulcia sunt hæc verba, quæ huic descriptioni inseruntur. Ait sapientia, se esse delectationes Dei, & ludere in orbe terrarum,

rarum, & delectationes suas esse cum filijs hominum. Nam hæc sapientia primùm summè lætificat Patrem, deinde ostendit Angelis & hominibus Patrem, in mirando ordine opificij Mundi, ac postea in promulgatione verbi in assumtione naturæ humanæ & resurrectione, in hominum reparatione, & totius Ecclesiæ conseruatione, in diluuio Noæ, in mari rubro, & omnibus alijs miraculis, ostendit & glorificat Patrem, & lætatur viuificatione & restitutione Ecclesiæ. Hæc omnia miranda opera nominat hîc ludos & delectationes sapientiæ Dei. Vt autem de missione Filij ad Ecclesiam antea dixit: Quia sapientia, id est, Filius Dei, docet foris Ecclesiam, promulgato verbo, & intus eam sustentat, docet, & illustrat: Sic cum propter Ecclesiam seruetur genus humanum: mox in eadem descriptione addit quatenus iusta fiant in politijs, fieri hoc ipso Filio sustentante & docente gubernatores edito verbo, & gubernante eos arcano modo. Ideo inquit, Per me reges regnant, & Iudices iusta decernunt. Ita & verbo Possidendi, & continua serie narrationis perspicuè refutantur Ariani.

NArrat Epiphanius hoc dictum Salomonis vel præcipuè occasionem dedisse Arianis, vt Filium Dei dicerent Spiritum creatum. Sunt igitur variæ refutationes ab Orthodoxis traditæ: aliqui hunc velut scopulum tergiuersatione quadam declinare studuerunt, quòd hoc dictum semel in Scripturis canonicis extaret. Deinde quòd in eo libro cõtineretur, cuius obscura sit in multis sententia, quique prouerbia ac similitudines & obscuros atque ænigmaticos sermones plerunque in rerum explicandarum serie adhibeat. Alij negarunt nomen Sapientiæ de Filio intelligi oportere, cùm alioqui Sapientiæ nomen in sacris libris sit æquiuocũ, & Scriptura mutis rebus, loquentium personam interdum imponere soleat. Præterea &

1.
2.
3.

hi, qui de Christo hunc locum admiserunt: dissimiliter tamen verba interpretati sunt. Plerique ad futuram
4. Christi incarnationem, seu ad humanam in Christo naturam accommodarunt, vt est apud Athanasium Dialogo primo, de Trinit. & apud Nazianzenum in 2. Orat. de Filio, & apud Cyrillum multis in locis, & apud Epiphan. de hæresi Ariana,

Eusebius Cæsarienſis vt refert Socrat. lib. 2. hi-
5. stor. Eccles. cap. 20. ad officium Christi hoc dictum accommodauit: Nimirum creauit, exponens pro ordinauit & constituit: Sicut & Apostolus magistratus sic describit, inquiens: Subditi estote omni humanæ creaturæ, id est, ordinationi. Sed quanquã probanda est veterum Scriptorum diligentia, qui cùm vulgatam tantùm versionem Græcam in manibus haberent, concinne hunc locum interpretari, & Arianorum impietatem refutare conati sunt: tamen rectiùs est ex fontibus Hebraicis interpretationem sumere, in quibus hoc modo verba huius dicti recitantur: Dominus possedit me initio viæ suæ, ante opera sua. Ac fieri potest, vt hoc ipso in loco LXX. interpretes pro kanah verterint ἔκτισε, quòd significat possidere, quod alij fortassis postea vel malitia, vel ignorantia mutantur in ἔκτισε. Ostendit autem locus Genes. 4. Verbum קנה possidendi referri aliquando ad generationem filiorum. Sic enim Eua, cùm peperisset Dain, exclamat: Possedi seu acquisiui virum à Iehoua. Tantum igitur abest, vt Arianorum cauillatio hîc locum habere possit, vt potius firmissimè hinc sequatur, sapientiam hanc, quæ loquitur Prouerb. 8. esse verum Dei Filium ex Patre Iehoua genitum: idque iam inde ab initio mundi, hoc est, ante mundi constitutionem. Nam initium viæ, nominat ipsam rerum creationem. Ac ne quis putet, cœpisse hanc Sapienriam esse apud Deum à creatione mundi, subijcit, ante opera sua, id est, ab æterno. Nam ante opera creationis nihil fuit nisi æternitas. Recitat hanc natiuam interpretationem etiam Basilius libro 2. contra

possidendi
Cain

tra Eunomium. Et Epiphanius cæteris omnibus hanc anteponit contra Ariomanitas. Sed Arianorum refutationem plurimum adiuuat series membrorum in textu Salomonis, & collatio cum 1. cap. Iohannis.

ARGVMENTVM II.

¶Omnis caro est creatura.
Verbum, quod est Filius Dei, est caro, iuxta dictum: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.
Ergo Verbum est creatura.

RESPONSIO.

Mutato genere prædicationis non valet consequentia. In maiore vsitata prædicatio est generis de specie: Caro est substantia creata. In minore, Verbum est caro, prædicatio est inusitata, & prorsus aliena ab omnibus exemplis, quæ de communi ordine naturæ loquuntur. Nam in hac propositione: Verbum est caro, hoc dicitur, Verbum est homo, videlicet assumta humana natura vnione personali. Hîc autem quæritur de Phrasi, an rectè dicatur Christus creatura, cùm quidem videatur vera esse propositio secundum communicationem idiomatum, videlicet respiciendo ad naturam humanam quæ est creata. Sed Ariani, insidiosè hanc propositionem miscebant alijs, vt suum errorem confirmarent, cùm contenderent. λόγον secundum sese, etiam nondum assumta humana natura, esse creaturam, id est, personam creatam ex nihilo, quæ tamen non sit ὁμοούσιος Patri. Ideo vetus Ecclesia damnauit hanc propositionem: Christus est creatura. Posteriores addiderunt veterum disputationibus nouas & spinosas

In lib. 3. Dialo. de regulis Syllog. & regulis cõsequentiæ. In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 222. & 329.

cauillationes, quas prorsus omitti propter ambiguitatem satius est, cùm res exponi alijs verbis perspicuè possit. Hæc enim propositio à commentarijs Longobardi reiecta est: Christus in quantum homo, creatura est: Alia verò, quæ non multò aliter sonat, à nonnullis recepta est: Christus secundum humanam naturã creatura est: Hæc exilitas disputationum fugiẽda est, præsertim cùm res aliter perspicuè possint dici, videlicet: in Christo nato ex uirgine sunt duæ naturæ, λόγος, & humana natura assumta: λόγος est Persona ὁμούσιος Patri, & coæterna Patri, non creata, sed genita de essentia Patris: sed natura humana est creatura. Sicut autẽ non est recepta propositio: Christus est creatura: ita non recipiendæ sunt hæ propositiones, Christus incipit esse: Item Christus factus est. Hæ verò propositiones receptæ sunt: λόγος incipit esse homo: Item λόγος factus est homo. Item λόγος factus est Christus, Et tamen hæ propositiones Græcè mollius efferuntur, quàm Latinè. Nequaquam enim diceretur, ὁ λόγος ἐποιήθη ἄνθρωπος. Sed Iohannes mollius dicit: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Hac admonitio de phrasibus huc pertinet, vt verecundè vtamur receptis propositionibus, & vitemus reiectas, quia docti in Ecclesia veteri plerunque eruditis causis moti sunt, cur alias phrases reiecerint, alias receperint.

PRimùm consideranda est responsio Dialectica ad hoc argumentum. Non valet consequentia: quia genus prædicationis mutatum est. Maior est regularis prædicatio: Omnis caro est creatura, id est, substantia creata. In minore longè alia connexio est, non congruens ad doctrinam prædicabilium. Loquitur enim copula de vnione personali duarum naturarum: Verbo vnita est humana natura, quã assumsit ὁ λόγος in aluo matris virginis. Hac dialectica responsione cõsidera-

siderata, postea cogitandum est de propositione, de qua olim multa disputata sunt. An Christus sit creatura. Etsi enim commoda interpretatione leniri posse videatur: tamen propter Arianorum insidias, satius est eam cum orthodoxa vetustate reijcere.

ARGVMENTVM III.

¶ Angelus est creatura.
Filius sæpe nominatur Angelus,
Ergo Filius est creatura.

RESPONSIO.

Genes. 48. Iacob facit inuocationem ad Deum & ad Angelum, per quem affirmat se ereptum esse ab omnibus malis. Hic Angelus est ipse Filius Dei λόγος missus ad Ecclesiam, vt semper aliquam Ecclesiam in genere humano colligat, & eam custodiat, & regat ac seruet. Diligenter est autem obseruanda lectio Hebraica in textu. Primùm alloquitur Iacob omnes Personas: Deus coram quo ambulauerunt Patres mei Abraham, Isaac. Sic alloquitur Deum patefactum Patribus, & seiungit suam inuocationem ab Ethnica. Deinde alloquitur Filium, Deus qui pauit me vsque ad hunc diem: Hic est Angelus, qui me liberauit ab omnibus malis. Ita demonstratiuè ponitur Angelus, nec inseritur particula copulatiua. Non igitur significatur Angelus creatus, sed sine dubio nominatur Angelus, Filius missus ad Ecclesiam, qui semper fuit & est custos Ecclesiæ. Quia proprietates sunt diuinæ naturæ, liberare ex cunctis malis, à peccato, à morte, & à furoribus diabolorum. Item restituere iustitiam & vitam æternam.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 217. & 218.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 219.

FAllacia est æquiuocationis in appellatione Angeli. In maiore significat Spiritum creatum. In minore vsurpatur de Filio Dei, non respectu essentiæ, sed officij: Quia Filius, vt rectè Iustinus Martyr in Tryphone scripsit: Angelus siue nuncius rerum cunctarum conditoris Dei eò vocatur, & intelligitur: quòd res Patris & factoris omnium, mortalibus annuntiet. In eodem Dialogo Iustinus multis exemplis demonstrat in ijsdem narrationibus sacræ historiæ, vnam eandemque personam, quæ est Filius Dei, nominari & angelum Domini, & Iehouam siue dominum ipsum, vnde firmissimè concludit, nomen Angeli non propter essentiam, sed propter officium Filio Dei tribui. Et extat apud Basilium simile dictum, quod quia memoria est dignissimum, adscribam. Sic enim Dialogo 2 contra Eunomium inquit: Vbicunque idem & Angelus & Deus vocatur, vnigenitum declarari sciamus, singulis ætatibus sese patefacientem, & Patris voluntatem sanctis suis annunciantem.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Facere significat creare, & factum esse, est creatum esse.

Christus est factus, vt dicitur Heb. 3. Considerate Apostolum, & summum Sacerdotem confessionis nostræ IESVM CHRISTVM, fidelem ei, qui feciteum. Item: Acto. 2. Certò sciat tota domus Israel, hunc esse factum á Deo Dominum & Christum.

Ergo Λόγος est creatura. id est, factus ex nihilo.

RESPONSIO.

Loquitur textus non de essentia, sed de officio. Nomi-

Nominibus autem officij rectè additur verbum fecit, quod significat libera voluntate ordinauit seu constituit: sicut verbo constituendi vtitur Psalmus secundus: Ego autem constitui Regem meum, seu ordinaui certo ritu: sic & Petrus in actis loquitur cap. 2. Sciat omnis domus Israel, quòd Dominum & Christum eum fecit Deus: vbi & nomen Christus, officij appellatio est. Simile exemplum, & quidem valde illustre, vbi verbum Fecit sic vsurpatur, est in dicto 2. Corin. cap. 5. Eum qui non nouit peccatum, Deus fecit pro nobis peccatum, vt nos fieremus iustitia Dei in ipso. Hîc manifestum est verbum ἐποίησε nequaquam de essentia loqui, sed de officio: Fecit eum peccatum, id est, ordinauit seu constituit hostiam pro peccato, in quam effunderetur ira aduersus nostra peccata. In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 329. & 330.

FAllacia est æquiuocationis in verbo fecit- Quod cùm de officio dicitur, idem significat quod constituere, seu in dignitatem aliquam euehere: vt si quis dicatur Rex, aut potens Imperator factus. Quòd igitur Ariani hos etiam locos proferebant ex Hebr. 3. & Act. 2. vt docerent, tẽpus fuisse, quo Christus nõ erat: siquidem eum fecit Deus: Id non solùm impiè, sed etiam ineptè dictum est. Nam faciendi verbum in his locis non refertur ad οὐσίαν, sed ad officium: quia ad Hebræos, Apostolus, id est, legatus & nuncius vocatur, & summus Sacerdos confessionis nostræ, id est, eius doctrinæ, quam profitemur, videlicet Euangelicæ. Et Christi nomen, vt alibi passim, ita etiam in loco Actorũ regem à Deo vnctum & designatum declarat. Ac voluit Petrus hoc ipso dicto ostendere, IESVM illum Nazarenum, de cuius morte, sepultura, resurrectione, & in cœlos ascensione antea dixerat, iam ad statum & dignitatem summam euectum esse, quemadmodum vsitatum est Apostolis omnibus: vt exaltationem Christi

describant, quotiescunque humiliationis ipsius in passione ac morte mentionem fecerunt.

ARGVMENTVM V.

¶ Nomen Dei sæpe tribuitur etiã creaturis. Ergo non est necesse intelligi, naturam diuinam & æternam esse in Christo, etiamsi apud Iohannem dicitur: Deus erat Verbum: Θεὸς ἦν ὁ Λόγος.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 307. In loc. Theolo. de Filio. ibid. 1546.

Etsi passim sparsa sunt testimonia, in Propheticis & Apostolicis scriptis, quæ ostendunt in Christo duas naturas esse: & diuinam, videlicet λόγον, Personam distinctam à Patre, & tamen ὁμούσιον πατρὶ, & naturæ Deum esse: Tamen Iohannes ideò suam narrationem ab hoc articulo exorsus est, vt in illustri loco extaret testimonium, ac omnibus in conspectu esset. Et quia in ipso exordio ponitur, magis apparet, nõ obiter aut casu ei hæc verba excidisse, sed consultò instituta esse hanc narrationem, vt Ecclesia certa esset de Filij substantia. Estq; consentaneum eo tempore oppositam esse confessionem Hebionis & Cerinthi, qui negabant in Messia naturam diuinam esse. Semper igitur in omni inuocatione sit in conspectu hæc narratio. Primùm autem æternitas τῦ λόγυ describitur: In principio erat ὁ λόγος. Postea personæ discernuntur: ὁ λόγος erat apud Deum: Tandem expresse asseuerat Filium esse naturæ Deum: Et Deus erat ὁ λόγος, vbi sciendum est, λόγον reuera subiectũ propositionis esse, & θεὸν prædicatum. Sicut conuenit in docendo & in definiendo, vocabulum communius ponere loco prædicati: & necessario sic ordinari membra, cogit hoc loco articulus, qui additur.

Nec locus est hîc cauillationi de vocabulo Dei: nomen Dei interdum significare non naturã Deum, sed gubernatorem ornatum diuinis donis. Ad hanc cauillationem respondendum est, non faciendam esse ambiguitatem vocabuli in ea narratione, vbi Dei essentia describitur, & non dicitur de hominum gradibus. Ac textus ipse refutat hanc calumniam, cùm declarat quid nominet Deum, scilicet Creatorem. Hæc est proprietas soli diuinæ essentiæ conueniens. Dicit autem de Filio, Omnia per ipsum facta sunt: Ergo Filius cùm sit creator cum Patre, est ὁμούσιος Patri & naturã Deus, non metaphoricè, non nuncupatione tantùm.

Hoc testimonium, quod in exordio narrationis apud Iohannem recitatur, semper in conspectu fit, & in huius articuli defensione cæteris argumentis præponatur, quia hoc loco non obiter de duabus naturis in Messia, aut obscurè aut ambiguè dicitur, sed narratio hanc ipsam ob causam instituta est, vt de tãto articulo Ecclesia certam & expressam sententiam teneret.

REpetenda est in huius argumenti solutione Regula: Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à subiectis, vel vt vulgò loquuntur: Verba sunt intelligenda de subiecta materia. Est enim propria & natiua singulorum verborum significatio sumenda ex serie & contextu orationis. Etsi igitur interdum creaturis figuratè seu κατὰ μεταφορὰν nomen Dei attribuitur, vt cùm Moses nominatur Deus Pharaonis, Exodi 4. & 7. Aut cum magistratus, Exod. 22 & Psal. 82. Item Angeli, Psal. 97. nominantur Dij: Aut cùm magis impropriè & καταχρηστικῶς, venter quorundam Deus esse scribitur, Philip. 3. Et diabolus 2. Cor. 4. nominatur Deus mundi: Item idola & com-

mentitia numina Ethnicorum vocantur Dij: Tamen in narratione Iohannis: Verbum erat Deus, prædicatio regularis est, non figurata. est enim narratio instituta ad descriptionem de essentia diuina. Ideò remoueatur ambiguitas, & intelligatur nomen Dei non per Metaphoram de officijs diuinis, quæ sæpe gerunt homines aut Angeli, sed propijssimè de æterna, omnipotente, intelligente, bona, veraci, iusta, casta, essentia conditrice. Quia Iohannes expresse affirmat, λόγον à principio fuisse, & omnia per λόγον esse condita. Dicit ergo λόγον esse æternum Deum, & conditorem.

ARGVMENTVM VI.

¶ Non potest confirmatio articulorum fidei sumi ex dictis obscuris aut ambiguis. Dictum Esa. cap. 9. Vocabitur nomen eius El. id est, Deus: est ambiguum, quia nomen El, etsi vnum est ex nominibus Dei: tamen sæpe vice epitheti vsurpatur, & generaliter significat fortem. Est & Ieremiæ dictum cap. 33. ambiguum: Hoc est nomen, quòd vocabunt eum Iehoua: Quia Iehouæ appellatio tribuitur κατὰ μετονυμίαν etiam alijs rebus, quæ non sunt Deus ipse, vt Exodi 17. Moses ædificauit altare, & vocauit eius nomen Iehoua. Item Ezech. vlt. vrbi Hierosolymæ tribuitur nomen Iehouæ.

Non igitur ex his testimonijs confirmari potest, Messiam natura Deum esse.

RESPONSIO.

Etsi in vaticinio Esaiæ Iudæi deprauant vocabulum

lum El, & dicunt ἀμφίβολον esse: tamen sequens proprietas addita refutat Iudaicam cauillationem. Cùm enim Messias dicitur esse Pater vitæ perpetuæ, manifestè tribuitur ei omnipotentia. Nam dare vitam æternam solius est diuinæ naturæ, Ac congruit hoc dictum cum dicto Christi: Ego vitam æternam do eis. In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 399. Item in locis Theol. de fil. 155.

Quod verò ad Ieremiæ dictum attinet: Et hoc est nomen, quòd vocabunt eum Iehoua iustificator noster: clarè tribuit Propheta Messiæ, nomẽ, quod in illa lingua proprium est Dei, & affirmat Messiam esse iustificatorem. Tribuit igitur ei gloriam, quæ soli Deo competit, Nam iustificare, tollere peccatum, & reddere iustitiam & vitam æternam, nemo potest nisi Deus. Frustrà autem eludere Iudæi hac cauillatione tam illustre testimonium conatur. Dicunt hoc nomen non esse substantiæ appellationem aut descriptionem: sed descriptionem esse beneficij aliunde dati per eum, vt apud Ezechielem in postremo versu dicitur: Hoc erit nomen ciuitatis, Dominus ibidem. Ita hanc appellationem aiunt tribui Christo, tanquam alieni beneficij significatori, Deus est iustificator noster.

Sed hac sophistica elusio refutari potest collatione aliorum testimoniorum, quæ cùm perspicuè affirment, Filium esse natura Deum, & de substantia Patris genitum: rectè intelligitur, & hoc loco tribui et appellationem & potentiam Dei, propterea quòd sit natura Deus.

Deinde verbum, vocabunt, in hoc loco Ieremiæ significat inuocabunt, id est, ipsum Messiam perpetuò Ecclesia inuocabit hoc modo, nominans ipsum Iehouæ & iustificatorem. Ipsa autem inuocatio testatur, eum esse natura Deum. Et cùm in ipsa inuocatione, ad ipsum

Messiam directa, nominetur ipse Iehoua & iustificator, non dubium est, eum natura Deum esse.

CONgruit etiam hæc responsio ad regulam: Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à subiectis. Etsi nomen El dictum à fortitudine, interdum vice Epitheti ponitur: tamen in dicto Esaiæ cap. 7. proprium esse constat, quia Esaias eo non contentus, adhuc epitheton robusti seu fortis addit: & mox Patrem seculi futuri, id est, authorem vitæ perpetuæ nominat. Cùm autem Messias sit author & donator vitæ æternæ, quæ hîc inchoatur in cordibus credentium, & postea consummabitur in tota æternitate: necesse est fateri eum natura Deum esse: Sic etsi Ieremiæ dictum veteratoriè Iudæi eludunt: tamen facilis est eorum refutatio: Clarè dicit Propheta, ipsum Messiam vocandum id est, inuocandum esse hac fide, quòd sit germen Dauid, & Deus omnipotens iustificator noster. Est autem & ipsa inuocatio testimonium diuinitatis, & proprietas est diuinæ potentiæ, quæ non tribui potest creaturis, iustificare, id est, tollere peccatum & mortem, & reddere iustitiam & vitam æternam. Non igitur figuratè, sed propriè de Messia intelligi necesse est appellationem Iehouæ: Quæ cum & alibi sæpe in veteri Testamento tribuatur Christo, firmissimè sequitur, eum natura Deum esse. Quia Iehouæ nomen soli vero atque æterno Deo competit. Quòd autem nugantur Iudæi, Iehouæ nomen ad creaturas etiam transferri, & aram extructam à Mose, & vrbem Hierosolymam allegant: collatio textuum perspicuè monstrat, nequaquam hoc nomen Iehouæ incommunicabile, istis locis attribui eo modo, quo Prophetæ passim Messiæ attribuunt. Sic enim Exo. 17. scribitur: Aedificauit Moses aram, & vocauit nomen eius, Iehoua vexillum meum vel miraculum meum. Quod Chaldæus Paraphrastes sic reddidit: Extruxit Moses altare, & cultum exhibuit super eo coram Domino, qui fecerat ei miracula. Apud Ezechielem verò hæc sunt verba in fine libri: Nomen

Nomen ciuitatis ex illa die, Iehoua ibi. Hîc manifestũ est non ipsum altare, neque ipsam vrbem Hyerosolymam nuncupari Iehouam, sed hoc tantum significari, loca illa, auxilij & præsentiæ Iehouæ monumentum ac testimonium fore. Ideo enim ara extruitur, vt sit monumentum huius rei, quòd Iehoua vexillum seu protectio Mosis esse voluerit. Sic & descriptione ista quasi insignitur ciuitas noua Hyerosolyma, ad testificandum de Iehouæ præsentia in Ecclesia.

ARGVMENTVM VII.

¶ Adoratio significat gestum corporis, qui non solùm Deo, sed etiam regibus sæpe exhibetur more politico.

Ergo ex testimonijs, in quibus fit mentio adorationis, non potest probari diuinitas Filij.

RESPONDEO.

Præcipua quadam diligentia considerandum est argumentum grauissimum, quod vel imprimis cõfirmat pias mentes, vt verè statuant in Christo esse naturam diuinam. Tota scriptura veteris & noui Testamenti affirmat inuocandũ & adorandũ esse Filium Dei Messiã, & iubet ab eo petere auxilium in omnibus periculis, & vitam æternam, & acquiescere fiducia ipsius, tanquam exaudientis & opem ferentis. Hoc est autem tribuere ei infinitã potentiã, quòd vbique adsit, corda inspiciat, exaudiat, quòd det iustitiam & vitam æternã. Necesse est igitur in Messia diuinã naturam esse. Sunt autẽ testimonia in nouo Testamento maximè perspicua, sed tamen & in veteri Testamento sæpe de inuocatione Messiæ

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. ope. 398. b. & 399. b. Et in locis Theol. de fil. & alibi passim.

dicitur, vt Psal. 45. Et concupiſces Rex decorem tuum. Quia ipſe eſt Deus tuus, & adorabis eum. Et Psalm. 12. Adorabunt coram eo ſemper. Hîc verò cauillantur Iudæi, adorationem ſignificare tantùm externum geſtum corporis, qui exhibetur Regibus more politico. Sed Propheta manifeſtè affirmat, hunc Meſſiam ſemper inuocandum eſſe, etiam cùm non conſpicietur oculis: Non igitur loquitur de geſtu corporum, qui præſentibus regibus exhibetur, ſed loquitur de mente, quæ petit à Meſſia, vt miſereatur noſtri, & ſit interceſſor pro nobis, det remiſſionem peccatorum, Spiritum ſanctum & vitam æternam, & ſit opitulator & defenſor etiam in huius vitæ periculis, aduerſus furores Diaboli & impiorum, ſicut & ipſe inquit: Oues meæ vocem meam audiunt: Nemo rapiet eas ex manu mea. Talis adoratio verè tribuit omnipotentiam Meſſiæ, & teſtificatur eum eſſe Deum. Et tales ſententiæ de inuocatione diligenter excerpendæ ſunt, quia ſimul docent, quis ſit Meſſias, & conſolationes neceſſarias nobis proponunt.

SAEpe iam dictum eſt, in enarratione dictorum Scripturæ inſigne lumen eſſe hanc regulam: Talia ſunt prædicata, qualia permittuntur eſſe à ſubiectis. In hanc ſententiam & Hilarius dixit lib. 4. de Trinit. Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi. Quia non ſermoni res, ſed rei ſermo ſubiectus eſt. Etſi igitur verum eſt, in aliquibus dictis, quæ non loquuntur de perſona Mediatoris, verbum adorationis vſurpari de externo geſtu honoris, qui tribuitur regibus præſentibus, quem geſtum nominamus γονυκλισίαν, id eſt, genuflexionem: tamen in teſtimonijs de Chriſto, longè maius quiddam ſignificat adoratio, quàm externam illam reuerentiam, quæ incuruatione genuum, vel etiam inclinatione capitis, vel proſtrato corpore in terram dari ſolet. Nam Prophetæ loquuntur de perpetua adoratione, qua adoratur Meſſias, etiam non conſpectus oculis. Non poteſt igitur hæc adoratio intelligi, vt Iudæi cauillantur, de externa ſignificatione honoris, quæ præſenti velut regi tenenti ciuile imperium exhibetur. Sed concionantur ſententiæ illæ de Meſſia audiente, opitulante & ſeruante Eccleſiã ſuam vbique terrarum & omnibus temporibus, etiam cùm non verſatur cum hominibus viſibiliter. Cùm autem hæc propria ſint naturæ omnipotentis, fatendum eſt in Chriſto eſſe diuinam naturam: quia inuocatio abſentis, qui non conſpicitur viſibiliter, tribuit ei omnipotentiam, ſentit enim illum videre motus cordium omnium hominum vbique terrarum.

ARGVMENTVM VIII.

¶ Rom. 1. Chriſtus prædeſtinatus eſt eſſe Filius Dei.

Ergo Filius non eſt perſona æterna, nec fuit antequam natus eſt ex virgine.

RESPONSIO.

Non dicit Paulus in hoc dicto de prædeſtinatione in mente diuina, ſed de certiſſima manifeſtatione Filij Dei in toto genere humano, quòd ſcilicet certò cognitum ſit, hunc Chriſtum eſſe Filium Dei, quia reſurrexit ex mortuis, & alios reſuſcitauit, vſus eſt Paulus in Græco textu inſigni verbo ὁρισθέντος. Significat autem ὁρίζεσθαι certiſſimè definiri, & ſine vlla dubitatione comprehendi & cognoſci. Hanc vocem vtcunque reddidit recentior verſio: Qui declaratus eſt eſſe Filius Dei.

In enarra. epiſto. ad Rom. To. 4. ope. 54. In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. ope. 330. Item To. 1. op. pag. 442.

Antiqua versio prorsus obscurauit. Qui prædestinatus est & & præbuit occasionem alienis disputationibus. Est igitur vera interpretatio: Quem certissimè cognitum est esse Filium Dei. Loquitur enim Paulus non de electione in Deo, sed de testimonio, quo nos conuincimur, vt verè statuamus in hoc Filio esse non tantùm humanam naturam, sed etiam diuinam omnipotentem. Disputant autem de hoc dicto Scriptores in lib. 3. Longobardi, distinctione decima, & quærunt interpretationes, ne à vulgari versione recedant. Nos omissis illis labyrinthis retineamus natiuam Pauli sententiam.

ARgumentum ex linguæ insciti oritur, verba sic recitantur in fontibus: περὶ τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα, τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ ἐν δυνάμει κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Ἰησοῦ χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, id est, De Filio suo, qui factus est ex semine Dauidis secundum carnem, qui declaratus est Filius Dei in potentia, secundum Spiritum sanctificationis, per resurrectionem à mortuis, nempe Iesu Christo Domino nostro. Descriptio est illustris personæ Christi, quem cùm necesse sit agnosci verum Deum & verum hominem, hoc ipsum Paulus sibi propositum habet, vt ostendat, quibus testimonijs vtraque in Christo natura certissimè demonstrata sit. Sed vulgata versio pro Græca voce τοῦ ὁρισθέντος reddidit: Qui prædestinatus est. Deinde disputationes natæ sunt, prorsus alienæ à Pauli scopo. Nam Lombardus cùm dixisset, Christum prædestinatum esse vt sit Filius Dei secundum hominem: postea quærit vtrum prædestinatio illa ad personam vel naturam referenda sit. Alij destinatum legere maluerunt, quàm prædestinatum. Quia, inquiunt, prædestinatur, qui nondum est: Destinatur qui est. Sed nullus hîc locus est differendi de prædestinatione vel destinatione, cùm hic scopus sit Pauli, vt declaret, quibus argumentis diuinitas Christi mundo patefacta sit ac comprobata. Quare & Græci hanc vocem simplicissimè exponunt per ἀποδειχθέντος καὶ ἀποφανθέντος, id est, qui demonstratus & manifestatus est. Nam ὁρίζεσθαι est certò cognosci, statui, definiri: sicut ὅροι & ὁρισμοὶ definitiones nominantur, & interdum demonstrationes, & testimonia seu Syngraphæ in contractibus. Hæc Grammatica interpretatio liberat lectorem à tota mole disputationum, quas scholastici cumularunt de hoc dicto, & natiuam Pauli sententiam illustrat. Non enim loquitur Paulus de Deo eligente, sed de hominibus agnoscentibus Filium DEI, & affirmat certò cognitum esse, hunc virum, quem Apostoli Messiam nominabant, esse Filium Dei, quia ex morte reuixerit, & alios mortuos resuscitauerit.

Porrò suo loco non est reijcienda Augustini sententia, qui rectè dicit, Naturam humanam, quæ assumenda erat ex virgine, prædestinatam, id est, ordinatã & electam esse, vt vniretur Filio. Certè propter hoc decretum, dictum est in prima promissione: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Sed non transferantur hæc ad Samosatenicam imaginationem de natura diuina in Christo, quasi Filius Dei sit non natura, sed prædestinatione. Vt nunc etiam blasphemi Antitrinitarij impiè disputant.

ARGVMENTVM IX.

¶ Honorans est minor honorato.
Filius honorat Patrem.
Ergo Filius est minor Patre.

RESPONDEO.

Rectè scripsit Cyrillus: Honos & obedientia non

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 323. & 324.

tollunt æqualitatem essentiæ & potentiæ, sed distinguunt ordinem personarum. Ac verum est, quòd Filius in tota æternitate magis honorat Patrem, quàm vlla creatura, quia perfectissimè nouit Patrem, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius volet reuelare.

In Chro. Ph. Tom. 5. ope. 211.

Sub imperatore Constantio quidam Episcopus Arianus idem argumentum hoc modo proposuit. Pater neminem colit. Filius colit Patrem. Ergo sunt dissimiles. Cùm autem vsus esset hic præstigiator verbo ἀσεβὴς, pro non colente alium, quod alioqui significat impium, totius populi clamore reprehensa est prophanitas vocabuli. Postea etsi vocabulum aliter interpretabatur: tamen iusto odio Sophistices explosus est. Et addit Historicus: περὶ τοιάυτας ἀσχολούμενοι λέξεις, τὴν ἐκκλησίαν διέστασαν. Circa tales occupati dictiones Ecclesiã distraxerunt, vt omnibus ætatibus in defensione falsorum dogmatum singulares argutiæ excogitantur, quæ ipsa nouitate capiunt rudes.

FAllacia est à non causa vt causa. Cùm Christus, inquit Iohan. 8. Ego honoro Patrem: etiamsi intelligatur de honore, quo in tota æternitate Filius afficit Patrem: tamen ita loquitur non propter inæqualitatem essentiæ, sed vt doceat de ordine personarum diuinitatis. Talis est autem ordo Filij ad Patrem: Quòd Filius nascitur à Patre, non Pater à Filio. Et Filius mittitur à Patre, Pater non est missus. Denique Filius assumit humanam naturam, non Pater. Narratio verò de argumento Ariano recitatur apud Socratem scholasticum, cuius hæc sunt verba lib. 2. histo. Ecclesiast. cap. 43. Eudoxius in sedem Constantinopolitanæ Ecclesiæ collocatus, primam illam vulgatam vocem emisit, dicens: Pater Asebes, Filius Eusebes. Orto autem ob hanc vocẽ tumultu & seditione: Ne perturbemini, inquit, propter hoc quod à me dictum est. Pater enim Asebes

Asebes est, quoniam neminem colit: Filius verò Eusebes, quia patrem colit. Cùm talia Eudoxius dixisset, sedatus quidem est tumultus, plurimus verò risus loco illius cœpit Ecclesiam. Et perseuerat hoc dictum ad hunc vsque diem ridiculum. Talia sunt hæresiarcharum sophismata, & talibus dictionibus vacantes, Ecclesiam discindunt.

ARGVMENTVM X.

¶ Nemo bonus est nisi vnus Deus, Matt. 19. Christus negat se esse bonum. Reijcit enim á se hunc titulum: Quid me vocas bonum?
Ergo Christus non est Deus.

RESPONSIO.

In enarra. Matth. Tom 3. oper. 514.

Dictum Christi est reprehensio hypocrisis. Etsi enim verum dicebat is, qui ex Pharisæorum grege quærebat à Christo, quid sibi faciendum esset: tamen quia non vero corde dicebat, reprehenditur. Non enim interrogat vt obtemperet, sed statim rursus discedit, nec iudicat esse bonum magistrum, quia doctrinam eius mox deserit. Requirit autem Deus veritatem cordis, & non vult inuocari falso corde, etiamsi veræ laudes ei tribuantur: Sicut scriptum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde.

IN minore est fallacia accentus. Non enim simpliciter negat Christus hoc dicto se bonum esse: Sicut neque Deum se esse negat, sed ironia est, reprehendens hypocrisin Pharisæi, qui blandè compellans Christum & doctorem bonum nominans, doctrinam tamen ipsi-

us non magnificiebat. Similis oratio est Luc. 6. Quid me compellatis Domine, Domine, nec facitis quæ dico? Nonnulli ex veteribus scriptoribus alias interpretationes tradiderunt. Ita enim accipiunt hęc verba, perinde ac si Christus Deitatem suam rectè insinuare, atque ita legisperitum ad agnitionem naturæ diuinæ in ipso deducere voluerit. Sic Athanasius scripsit Dialogo 1. de Trinit. Quoniam ille doctorem eum nominans ad ipsum accesserat, vt ad eum, qui nihil aliud quàm homo esset, propterea inquit Christus: Quid mę bonum dicis, non credens, quòd sim Deus. Nullus enim bonus, nisi vnus, nempe Deus. Similis est explicatio apud Nazianzenum orat. 2. de Filio. Et apud Cyrillum in thesauro lib. 2. cap. 10. Epiphanius contra Ariomanitas non tantùm hypocriseos, sed etiam superbiæ Pharisæi reprehensionem esse in his verbis scribit. Nam subuertere, inquit, in eo voluit inflationem, & opinionem, quam de iustitia propria induerat, & redarguere ipsius cor, qui bonum quidem labijs ipsum dicebat, verum in bona ipsius doctrina non permanebat. Sed quocunque respectu hoc dictum explicetur: manifestum est tamen in eo congruere interpretationes omninm, quòd oratio Christi non sit simpliciter negatiua, sed ironica. Non enim inquit, Noli me bonum dicere: Sed quid me dicis bonum esse? Est autem magnum inter hæc discrimen. Nam illud: Noli me bonum dicere, bonitatem tollit. Illud verò: Quid me dicis bonũ, perinde est ac: Quorsum me dicis bonũ, nec me cõfiteris Deum esse, nec propositũ affers seriò obtemperandi doctrinæ meæ? Epiphanius narrat Marcionem, qui vnius Lucæ Euangelium admisit, sed plurimis locis diminutũ & corruptum, ita deprauasse hanc responsionem Christi: μή με λέγε ἀγαθὸν. οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ ὁ θεὸς ὁ πατήρ.

ARGVMENTVM XI.

¶ Matth. 20. Sedere ad dextram meam & sinistram, non est meum dare.

Ergo Filius non habet potentiam æqualem Patri.

RESPONSIO.

Multa dicta dextrè explicantur hac distinctione, quòd loquantur non de essentia, sed de officio: non est meum dare vobis, scilicet in hoc officio, quo nunc fungor, missus ad hanc obedientiam in docendo & in patiendo. Alibi verò dicit: Omnia mihi tradita sunt à Patre. Item: Omnia mea tua sunt, & omnia tua mea sunt. In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. o per. 325.

FAllacia est à non causa vt causa. Nihil sibi hoc dicto Christus derogat, neque de potentia sua diuina hîc disputat: sed hoc vult cogitari ab Apostolis, cur missus sit à Patre, & quid præsenti suæ vocationi conueniat. Attaxat Christus his verbis multos errores mulieris, matris filiorum Zebedæi, & Apostolorum. Et significat Ecclesiam oportere in hac vita subiectam esse cruci. Nec locum esse stultis imaginationibus de regno Politico Messiæ.

ARGVMENTVM XII.

¶ De die illo & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater.

Ergo Filius Dei non est natura Deus, cùm non habeat omnia idiomata naturæ diuinæ propria.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 325. In epist. Ph. ad Matth. lib. 2. epi. fol. 99.

Non nouit Filius, scilicet quatenus ad hoc officium docendi Euangelium in hac vita missus est. Ad id officium pertinet asseuerare quòd sit futurum iudicium resuscitatis mortuis: Sed diem & horam prædicere ad hoc officium non pertinet. Hanc simplicissimam esse explicationem Lutherus etiam iudicabat: Filius in quantum missus ad ministeriũ Euangelij, profitetur ea se scire, quæ mandauit Pater exponi, sicut ipse inquit Ioh. 12. Qui misit me Pater, mandatum mihi dedit: ἃ ἔν λαλῶ ἐγώ, καθὰς ἔιρηκε μοὶ ὁ πατὴρ οὕτως λαλῶ. Nescit alia arcana, id est, nobis ea nescit, quia non vult eum Pater alia profiteri, extra mandatam reuelationem Euangelij. Non exponit, quare Alexandro tribuerit monarchiam, non Cræso. Hæc nihil ad Euangelium pertinent, & sunt extra mandata, quæ accepit. Talis est responsio Christi de die & hora conflagrationis mundi. Scio & alias responsiones de discrimine naturæ diuinæ & humanæ dari, quibus si quis mauult vti, non repugno. Sicut alibi dicitur: Creuisse sapientia & ætate, quod à multis ita enarratur: etiamsi fulsit diuinitas in natura humana, tamen aliter fulsit in infirmitate assumta, aliter in grandiori ætate, aliter in passione, aliter in lætitia. Simus etiam contenti mediocri enarratione in explicatione harum arcanarum rerum.

SAEpe citarunt hoc dictum Ariani. Sed plana & perspicua respõsio hæc est. Loquitur Christus hîc de officio suo, id est, de præsenti vocatione in illo visibili ministerio, & ab arcano consilio iniunctam sibi docendi rationem discernit. Vsus est hac explicatione Augustinus etiam Psal. 6. & in quæstionibus. Et Basilius lib. 4. contra Eunomium. Nec displicet hæc enarratio

enarratio Reuerendo Domino Luthero, etsi locum illum Marci 13. tractans in concione quadam, maluit hæc verba ad idioma humanæ naturæ accommodare, vt somnia illorum refutet, qui naturam humanam Christi secundum sese faciunt omniscium, & idiomata deitatis in eam transfusa esse reali seu physica communicatione imaginantur. Locus est in Postilla Ecclesiastica pag. 85. in enarrat. epistolæ in die Natali Christi ex cap. 1 ad Hebr. Sed Basilij verba, quia insignia sunt, ascribam: Quoniam ergo hominibus non expedit tempus iudicij nosse, idcirco reticuit: siquidem expectatio perpetua facit, vt feruidius pietati incumbamus, quòd si multum interceſſurum temporis cognouerimus, negligentiores nos reddit in pietatis studio, quòd futurum speremus, vt mutatis tandem moribus seruari possimus. Etenim qui omnia ad horam illam vsque futura nouit (vt qui ea prædixerit) num horam illam nesciebat? Sed & Apostolus temere dixisset: In quo reconditi sunt omnes sapientiæ & intelligentiæ thesauri. Nazianzenus in 2. orat. de Filio secundum naturam humanam Christi exponit. γινώσκει μὲν, inquit, ὡς θεὸς, ἀγνοεῖν γέ φησιν ὡς ἄνθρωπος, nouit vt Deus, ignorare autem se ait, tanquam homo. Sed extant apud hunc scriptorem & aliæ huius dicti explicationes, quæ cognosci de illa cuius mentionem feci, oratione possunt ab his, qui dissimiles eruditorum responsiones conferre inter se volunt.

ARGVMENTVM XIII.

¶ Christus dicit: Pater maior me est,
Ergo Filius non est ὁμούσιος Patri.

RESPONSIO.

Hoc dictum Ariani præcipuè opposuerunt aduer-

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. ope. 400 b. Item: To. 2, ope. 224 225. & 323. Item in locis Theol. de fil. & enarra. 14. ca. in Ioh. & alibi passim.

sus veram sententiam de natura diuina in Christo. Est autem responsio vsitata: Maior me est, scilicet, quàm ego sum secũdum naturam humanam. Ad hanc responsionem plerunque decurrunt veteres, sumtam ex communicatione idiomatum. Sed simplicior responsio est: Alia dicta loquuntur de essentia, vt cùm dicitur: Verbũ erat Deus. ibi propriissimè traditur essentiæ descriptio, quia hæc narratio instituta est, vt doceat, quis sit λόγος antequam assumsit humanam naturam. Alia verò dicta loquuntur de officio Christi missi ad docendum, & ad hanc obedientiam, vt fiat victima pro nobis. In talibus dictis fit collatio mittentis & missi. Mittens est fons doctrinæ & approbator, & defensor. Missus verò est in præsenti vocatione velut minister, qui à mittente accipit doctrinam, & aliquandiu est infirmus, subit crucem, nec exerit suam potentiam, sed expectat testimonia, quibus & doctrina confirmetur, & ipse postea in gloriosa exaltatione ornetur. Ita & hoc dictum: Pater maior me est, loquitur de officio huius personæ missæ ad ministerium & ad humiliationem, non loquitur de inæqualitate essentiæ. Cùm enim Iudæi accusarent Christum, quòd doceret contra autoritatem Dei, necesse fuit Christo allegare autoritatem Patris, à quo affirmat se missum esse, & traditam sibi doctrinam & mandatum docendi. At Patrem maiorem esse dicit, tanquam mittentem, fontem doctrinæ, approbatorem, & defensorem huius doctrinæ & Ecclesiæ suæ. Ac tunc præsertim Patris autoritas & potentia monstranda fuit, quia in illo ministerio nondum conspicitur Filij potentia, sed conspicitur passio & infirmitas. Ne igitur hac specie infirmitatis moti dubitarent de doctrina & de conseruatione Ecclesiæ, affirmat, potentia Patris hoc ministerium esse efficax,

efficax, & Patrem sua potentia glorificaturum esse Filium, & seruaturum Ecclesiam.

VEteres vsitatè sic responderunt non ad hanc solùm, sed etiam ad aliquot præcedentes obiectiones: Intelligenda esse talia dicta secundum naturam humanam. Etsi autem vtiliter hæc explicatio monet de distinctis naturarum in Christo proprietatibus, quę nec confusæ, nec exæquatæ sunt: vt Stenckfeldiani, & horum similes, audacter fingunt: tamen hæc etiam responsio rectè tradita non est aspernanda. Discernenda est diuinitas mittens à persona missa ad ministerium & ad humiliationem. Pater maior me est: Non quod ad essentiam attinet, sed quod ad hoc officium attinet, in quo ego sum persona missa. Nec verò obscura est ratio, cur sic loquatur Christus. Quia voluit se agnosci, non vt fanaticum doctorem, aut qui sine Patre, & sine missione æterni decreti doceret. Ideoque vt constaret, promissionem gratiæ & vitæ æternæ certò decretum esse immotum diuinitatis, affirmat se personam esse à Patre missam. Nec afferre se doctrinam à se vno excogitatam, sed tanquam legatum vocem æterni Patris arcanam exponere. Voluit & hanc asseuerationem opponere scandalo crucis: Quia cùm missus esset, non solùm ad prædicandum, sed etiam ad obedientiam in passione, qua valde offenditur humana ratio: docere voluit. Quanquam nunc patiatur sine gloria: tamen Patrem mittentem glorificaturum esse ipsum. Ita fallacia est à non causa vt causa. Non enim propter essentiæ inæqualitatem, sed propter vocationem præsentem sic loquitur Christus: Pater maior me est, scilicet mittens & glorificans.

ARGVMENTVM XIIII.

¶ 1. Corint. 15. scriptum est de Christo: Tradet

det regnum Deo Patri. Item, Tunc & ipse Filius subijcietur ei, qui subiecit ipsi omnia.

Ergo rectè dixerunt Ariani. Filium esse inæqualem Patri.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 324. & 325. Item in enarra. epi. ad Corin. Tom. 4. oper. 296. & alibi passim.

Cyrillus de hoc etiam dicto breuiter respondet: Subiectio seu obedientia non tollit æqualitatem essentiæ & potentiæ, sed ostendit ordinem personarum. Nec displicet mihi hæc breuis responsio, sed adiungo magis propriam: Filius considerandus est dupliciter, vel quoad officia, vt persona missa, vel quoad essentiam diuinam. Namvt persona missa & assumens naturam humanam, colligens Ecclesiam, & regnum, ministerio Euangelij, & vt rex & caput Ecclesiæ, subijcit se æterno Patri, & tradet regnum Deo & Patri, id est, adducet Ecclesiam in conspectum Patris. Etsi enim idem est regnum æternum Christi, sicut dicitur: Regni eius non erit finis: tamen modus differt in hac vita & post hanc vitam. Modus in hac vita est propriè, hanc personam Christi missam esse ad colligendam Ecclesiam ministerio Euangelij. In hac missione diuinitas est efficax in ministerio immediatè per Filium, qui est caput omnia in omnibus perficiens, intercedens pro Ecclesia. seruans Ecclesiam & ministerium, sicut scriptum est: Sedet ad dextram Patris, dans dona hominibus. Item. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Alter modus regni est in vita æterna, in qua non erit regnum per ministerium Euangelij, sed Deus immediatè erit omnia in omnibus beatis, immediatè cõmunicabit se eis, & suam sapientiam iustitiam & latitiam, & agnoscent

scent eum beati à facie ad faciem. Cùm igitur hæc persona, quæ est Christus, sit rex Ecclesiæ, Deus & homo, in quantum rex, erit sub Patre seu mittente diuinitate. Quia hoc agnoscì oportet, quòd hoc regnum sit à diuinitate, quòd per Filium rursus ad Deum tanquam ad caput adiuncti simus, sicut ad Ephesios dicitur: Per quem placuit Deo cuncta redigere ad vnum caput. Ita de officio dicitur: In quantum Rex ostendit suam subiectionem & copulationem cum Patre, & tradet regnum, id est, adducet Ecclesiam ad caput, vt ita diuinitas immediatè regnet, non in ministerio.

DVæ sunt obiectiones in hoc argumento.

Prior est:

Subiectio ostendit inæqualitatem. Quia is qui subijcitur, inferior est eo, cui subijcitur

Christus autem subijcitur Patri post vniuersalem mortuorum resuscitationem.

Ergo Christus est minor seu inferior Patre.

Respondeo ad dictum Pauli: Filius subijcitur Patri respectu officij, quatenus est Ecclesiæ, siue omnium Patris subiectorum caput. Sic enim & Augustinus lib. 1. de Trini. cap. 8. hunc locum enarrans, inquit: Christus in quantum Deus est, cum illo nos subiectos habet: In quantum Sacerdos, nobiscum illi subiectus est. Altera obiectio est.

Christus tradet regnum Patri.

Ergo non est idem regnum Christi & regnum Patris.

Non igitur Christus idem est cum Patre Deus.

Respondeo: vsitatum est Paulo discernere regnum Christi & regnum Dei, vt hoc loco, 1. Corint. 15. & Ephes. 5. Omnis immundus aut auarus, qui est idololatra, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Differunt autem regnum Dei & regnum Christi, non re, sed modo rei. Nam Ecclesia vocatur regnum

Christi, donec in hac vita colligitur & regitur Euangelio & Sacramentis, per quæ Deus est efficax, & inchoat in nobis nouam lucem, iustitiam & vitam. Eadem Ecclesia erit regnum Dei in vita æterna. cessante ministerio Euangelij & Sacramentorum, & Deo se nobis coràm patefaciente & communicante iustitiam & alia bona æterna.

Est igitur fallacia in hoc argumento à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Etsi enim alius est modus collectionis & gubernationis Ecclesiæ in hac vita: alius verò modus erit efficaciæ Dei in electis in altera vita: Tamen vt à regno Christi in hac vita nequaquam excluditur diuinitas mittens, sed simul sunt efficaces Pater, Filius & Spiritus sanctus, etiamsi actiones immediatè fiunt per Mediatorem: sic à regno Dei, quod post vniuersalem resuscitationem mortuorum sequetur, Filius quoque in quantum Deus, excludi minimè potest. Non enim tunc regnare cum Patre desinet, etiamsi tunc immediatè sine ministerio cum Patre & Spiritu sancto se communicabit electis in tota æternitate. Erit tota responsio clarior, si phrasis Pauli rectè intelligatur, Nam hoc ipsum est tradere regnum Patri, non desinere aut cessare deinceps à regnando: sed ostendere actiones (ad collectionem Ecclesiæ pertinentes, quæ à Filio tanquam à Persona missa perficiũtur in hac vita seu in militante Ecclesia) iam completas esse, atque ita Ecclesiam lætam ac triumphantem adducere ad conspectum Dei, vt sit deinceps alius modus regni, in quo tota diuinitas immediatè conspicietur, & cessante ministerio, viuificabit beatos æterna vita, & donabit eis lucem, sapientiam, iustitiam, quæ erit sine peccato.

ARGVMENTVM XV.

¶ Deus non potest semetipsum exinanire.

Chri-

Christus semetipsum exinaniuit, vt dicitur Phil. 2. Sic sitis affecti, sicut & Christus Iesus affectus erat, qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo.

Non est igitur Christus Deus.

RESPONSIO.

Vtrique dimicarunt de hoc dicto, pij & Ariani, sed retineamus simplicẽ interpretationem. Prior pars huius dicti testatur, Filium esse natura Deum & potentem, cùm ait, in forma Dei. Nam vetustas formam Dei interpretatur essentiam & potentiam diuinam. Sicut & postea formam serui Paulus nominat naturam humanam & proprietates naturæ humanæ, passibilitatem, lætitiam, dolores, mortalitatem sine peccato.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 224. item 225. & in loc. Theol. de Filio. Item in enarrat. 1. cap. Ioh. & alibi passim.

Secunda pars de certo tempore humiliationis loquitur, quasi dicat: Qui cùm esset natura Deus, & potens, & posset viuificare naturam humanam, non rapuit æqualitatem Dei, id est, nõ exeruit potentiam diuinam extra vocationem, sed ad tempus quieuit, & voluit hanc humilitatem, qua hæc persona Patri obediret. Ac sciendum est, vsitatam phrasin esse, quæ & apud Thucydiden extat, ἡγεῖσθαι ἁρπαγὴν, id est, ducere rapinã, pro rapere. Sic igitur & hîc intelligatur phrasis: Nõ duxit rapinã, id est, non rapuit contra missionem suã vsum omnipotentiæ in sui defensionem: Sed semetipsum exinaniuit, id est, non est vsus sua potentia extra vocationẽ,

& ſerui formam accepit, videlicet, non habentis defenſionem, factus in ſimilitudine hominum, id eſt, fuit homo, & ſimilis alijs, paſsibilis & mortalis, ſed ſine peccato, & habitu inuentus vt homo, id eſt, ſenſibus & affectibus, fame, ſiti, gaudio, triſtitia, miſericordia, lacrymis, ira, indignatione: humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem, id eſt, non repulit mortem, ſed cùm ſciret hanc eſſe voluntatem æterni Patris, vt ſic pœna ſolueretur, voluit hanc obedientiam. Hoc ipſum velle nominat humilitatem, ſicut in genere, velle inuocatione ſeruire, & non alia expetere ſplendidiora, aut grauiora extra vocationem, nominatur humilitas.

INſigne dictum eſt Auguſtini lib. 1 de Trinit. In ſcriptura diligenter conſiderandum eſt, quid, ſecundum quid, & propter quid dicatur: Ita in hoc argumento explicando cogitandum eſt, ſecundum quid, & propter quid Filius Dei ſeipſum exinaniuerit, Deſcribitur enim vt Perſona miſſa ad hoc officium, vt ſit victima & redemtor totius generis humani. Ac vocabulo exinaniendi comprehenditur tota ipſius humiliatio, in incarnatione, miniſterio, paſſione & morte: In qua non ita fulſit gloria diuina, vt poſtea cùm exaltatus eſt ad dextram Patris. Ex hoc dicto Pauli non dubium eſt Irenæum ſumſiſſe inſignem illam ſententiam, qua dicit Chriſtum crucifixum & mortuum eſſe, requieſcente verbo, vt humana natura crucifigi & mori poſſet. Sic igitur ſe Chriſtus exinaniuit, non quòd natura ipſius diuina fuerit imminuta, aut facta infirma, ſed quod in præſenti vocatione ſeu in hoc tempore deſtinato paſſioni & morti, non exeruerit vires & potentiam diuinam, ſed fuerit obediẽs Patri, & ceſſerit æterni Patris iræ aduerſus peccatum generis humani, neq; mox liberauerit humanam naturam à morte, & ab horribilibus doloribus interioribus, quos ſuſtinebat anima ipſius. Si expendas dictum Irenæi, intelliges piè

Piè declarari natiuam Pauli ſententiam, & illuſtrari magnitudinem iræ Dei aduerſus peccatum, effuſæ in Chriſtum, & admirandam humilitatem Filij quieſcentis & obedientis Patri, nec exerentis ſuam potentiam contra vocationem.

ARGVMENTVM XVI.

¶ Natura Deus non poteſt exaltari.
De Chriſto ſcribitur Philip. 2. quod ſit exaltatus. Item Pſal. 110.
Ergo Chriſtus non eſt natura Deus.

RESPONSIO.

Orthodoxi aduerſus Arianos reſpondebant ex regula de Communicatione idiomatum: Chriſtus eſt exaltatus ſecundum naturam humanam, factus impaſsibilis & immortalis, ſicut in Pſalmo dicitur: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput: Sed poteſt breuiter reſponderi: Aliud eſt tempus humiliationis, aliud glorificationis. Poſtquam igitur de humiliatione Apoſtolus dixit, mox de exaltatione addit: Propterea exaltauit eum Deus, & dedit ei nomen ſupra omne nomen, vt in nomine IESV flectatur omne genu cæleſtium, terreſtrium & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus in gloria Dei Patris. Eodem modo illa Pſalmi verba de glorificatione loquuntur: Propterea exaltabit caput, id eſt, hoc modo glorificabitur, poſtquam fuerit humiliatus, & factus victima. Cumq; initio eius Pſalmi dictum ſit de regno eterno ad dextram Patris: facilè intelligi poteſt, de qua glorificatione verba intelligenda ſint, videlicet de re-

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2, oper. 225.

In enarra. Pſal. 101. Tom. 2, oper. 724.

gno, in quo Christus diuina potentia liberabit credentes à peccato, à morte, & defendet eos contra diaboli & mundi sæuitiam & puniet eos æternis pœnis, qui Euangelio non obediunt.

SIcut exinanitio totam humiliationem Filij Dei complectitur, tanquam Personæ missæ: Sic exaltatio Christi referenda est ad glorificationem totius Personæ, quæ post passionem exaltata est in regno & sacerdotio. Etsi enim natura diuina secundum sese, aut respectu sui ipsius, nec humiliari, nec exaltari, nec minui, nec augeri potest: tamen quatenus consideratur Filius Dei, vt Persona missa ad ministerium, & ad obedientiam in passione & morte, rectè tribuitur ei humiliatio, quia & vult obedientiam, ad quam missus est, & non vtitur contra vocationem potentia diuina. Postquam verò satisfactum est iræ diuinæ, & tempus humiliationis præterijt, clarè agnoscitur diuinitas huius personæ, & conspicitur gloria regni & sacerdotij ipsius, quam habet secundum vtramque naturam, de qua & in articulo Symboli dictum est: Sedet ad dextram Patris omnipotentis. Fallacia est & in hoc, & in præcedenti argumento, à dicto secundum quid. Item à non causa vt causa.

ARGVMENTVM XVII.

¶ Christus petit se glorificari á Patre.
Ergo Christus non est natura Deus.

RESPONDEO.

In loc. Theol. de Filio To. 1 oper. 156,

Sæpe repetenda est hæc responsio: Quædam dicta de essentia loquuntur, quædam de officijs. Ita hoc dictum discrimen facit officiorum: Non loquitur de essentia. Nunc missus subiectus sum cruci, & seruio meæ vocationi.

cationi. Deinde verò gloriam mihi restitue, quam ante mundi constitutionem apud te habui. Hanc esse natiuam sententiam huius dicti, collatio membrorum in precatione Christi ostendit. Sic enim orditur precationem, Venit hora, id est, iam instat agon omnium maximus, qualem nemo Patrum sustinuit. Hæc est descriptio periculi congruens ad illud tempus humiliationis. Postea sequitur petitio: Glorifica Filium tuum, id est, non sinas me succumbere in hoc agone, sed adiuua luctantem & libera. Sequitur causa finalis, cur petat auxilium & liberationem: Vt & Filius tuus te glorificet, id est: Hic agon ideo à te ordinatus est, vt hac mea obedientia satisfiat iustitiæ tuæ, ira iustissima fiat placata, deleatur peccatum, & tibi hæreditas mea, videlicet Ecclesia, meo sanguine redimatur, celebratura te in æternum. Hanc causam finalem glorificationis recensет, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. In enarra. Iohann. Tom. 3. op. 836.

Paulò post repetit institutam precationem: Glorifica me: & allegat causam, scilicet ipsum consilium Dei seu ordinationem diuinam. Sic ordinasti has res summas, & omnium maximas, voluisti te patefacere misso Filio, voluisti redimi genus humanum, voluisti me fieri victimam & placatorem: Ecce obediui, & obedio, nunc vicissim iuxta tuam ordinationem me glorificato, adiuua me, ne succumbam in hoc agone, & restitue mihi gloriam æternam, quam apud te habui, antequam mundus conderetur. Hoc dictum adeo nihil detrahit diuinitati Christi, vt expressè potius de Filij Dei diuinitate concionetur. Nam si fuit ante mundi conditionem, non est creatura. In enarra. Ioh. To. 3. op. 837.

SVmta est hæc obiectio ex vltima precatione Christi, qua vsus est paulò ante agonem in horto, quam

descripsit Iohannes Euangelista capite septimo. Congruit autem responsio ad hanc obiectionem, cum solutionibus aliquot præcedentium obiectionum. Antecedens loquitur de discrimine mittentis & missi, ac confert statum humiliationis & glorificationis. Nunc dicit se missum esse, & seruire suæ vocationi, & subiectum esse cruci, in qua minus fulget gloria diuina. Talis cùm sit in præsenti vocatione, petit se iuuari & confirmari, ac tandem liberari, vt in victoria & regno conspiciatur rursus gloria, quam ab omni æternitate apud Patrem habuerit. Id de humana natura tantùm intelligi non potest, quæ antequam mundus conditus est, imò antequam hîc Dominus natus est ex virgine, nondum fuit: sed expresse concionatur hoc dictum de exaltatione seu glorificatione huius personæ missæ: & est insigne testimonium de diuinitate Filij. Affirmat enim se fuisse ante conditionem mundi, & fuisse potentem & glorioſum. Nunc verò etsi ad tempus futurus sit in hac imbecillitate, videlicet quiescens, vt caro crucifigi & mori possit: tamen aliquanto pòst rursus declarata est potentia ipsius in resurrectione.

ARGVMENTVM XVIII.

¶ Deus non potest deseri á seipso.
Christus clamat in cruce: Deus meus quare me dereliquisti?
Ergo Christus non est Deus.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 400. b In loc.

Loquitur hoc dictum de tempore humiliationis, & Christum describit tanquam victimam sustinentem tunc pœnas peccatorum nostrorum. Lamentatur igitur in se effundi iram æterni Patris, sicut et in Esaia dicitur:

dicitur: Et Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Hæ descriptiones aliquo modo significant, quanta sit ira Dei vera & horrenda aduersus peccatum, & quales dolores sustinuerit Filius Dei, scilicet non tantùm corporis lacerationes, sed etiam ingentes illos dolores, qui sunt sensus iræ Dei. Theol. de filio & alibi passim.

Harum maximarum rerum cogitatione pij expauescant, & magnitudinem earum pia meditatione considerent. Quod si facient, facilius discernent dicta his similia: & agnoscent aliquo modo vtrũque, Magnitudinem iræ Dei aduersus peccata: & Magnitudinem misericordiæ in Filio Dei, qui etsi natura Deus est, tamen ibi se abiecit, ac prostratus coram æterno Patre pro vniuersa Ecclesia fuit intercessor, & obtulit suum sacrificium.

VT Augustinus inquit: Distingue tempora, & cõciliabis Scripturas: ita in multis dictis, quæ de Christo loquuntur, distinguendum est inter tempora seu status glorioſè regnantis Christi: aut humiliati seu humiliter se gerentis in ministerio, passione, & morte. Sciendum est igitur, hoc dictum: Deus meus quare me dereliquisti? loqui de Christo humiliato & patiente. Non autem sequitur, quod Ariani inde ratiocinabantur, Christum non esse Deum. Non enim hîc dicitur de essentia, sed illius temporis obedientia describitur, in qua ira Dei aduersus peccata generis humani in hanc victimam effusa erat. Epiphanius hæc à Christo dici ait ἀνθρωποπαθῶς, ἐκ προσώπου τῆς ἀπὸ ἐναν θρωπήσεως, id est, humana quadam affectione ex eius persona, qui homo factus sit. Et Nazianzenus in Orat. de filio secunda: οὕτω τυποῖ, inquit, τὸ ἀμήτορον. Hac quasi figura naturam nostram exprimit.

ARGVMENTVM XIX.

¶ Naturam diuinam pati aut mori, simpliciter impossibile est.
Christus autem & passus & mortuus est.
Ergo Christus non est natura Deus.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 400. & Tom. 2. 321. in loc. Theol. de Filio. Et in postrema parte respon. ad art. Bau. To. 1. oper. 155. b & 386. b. & alibi passim.

Hæc obiectio omnibus in oculos incurrit, & maximè videtur labefactare sententiam de diuinitate Filij. necesse est ergo ad hanc obiectionem respondere, quia absurdissimum videtur dicere Deum lacerari & mori. Est igitur hæc vera & necessaria responsio. Cùm in Christo sint duæ naturæ, quædam propria vni naturæ non impediunt, quò minus adsit altera natura. Propriæ sunt autem hæc humanæ naturæ, lacerari membra, pati, mori. Hæc non impediunt, quò minus adsit diuina natura, quia naturæ retinent suas proprietates. Sic autem assumsit humanam naturam, & sic induit infirmitatem Filius, vt non maneret in morte. Ideò expressè dictum est: Ego habeo potestatem ponere animam, & rursus eam sumere. Ac disertè Petrus inquit: Christum passum esse carne. Et Irenæus piè & eruditè dicit, Christum crucifixum esse requiescente Verbo, id est, diuina natura non est lacerata aut mortua, sed non est vsa potentia, seu non exeruit suas vires.

MAximè speciosa est hæc obiectio sumta à morte Christi, quæ à Iudæis impijs & Arianis veteribus ac recentibus opponitur doctrinæ de vera Deitate Christi. Sed summa responsionis hac Dialectica breuitate comprehendi potest. Non valet consequentia mutato genere prædicationis. Quia fiunt quatuor termini, In Maiore est prædicatio regularis. Et hæc vera est, sicut sonat in abstracto, τὸ γὰρ θεῖον ἀπαθές ἐστιν, ὅτι ἀσώματον, vt inquit Cyrillus. In Minore autem prædicatio est invsitata, in qua subiectum, est vocabulum significans personam, in qua sunt duæ naturæ, diuina & humana. Harum cùm sit vnio Hypostatica, vtriusque naturæ propria tribuuntur personæ per communicationem idiomatum, sed seruata hac declaratione, quòd diuina natura in Christo non sit mortua, sed quòd hæc Persona, quæ est Deus & homo, mortem subierit pro nobis secundum carnem.

ARGVMENTVM XX.

¶ Natura diuina non potest defatigari.
Christus sæpe scribitur defatigatus.
Ergo Christus non est Deus.

RESPONSIO.

Vt in Christo, natura verè humana fuit, sed non contaminata peccato: ita fuerunt membra conuenientia naturæ humanæ, ornata, appetitiones, affectus, motus. Sed hæc fuerunt ordinata, iusta & congruentia legi Dei, & sicut naturaliter consumto nutrimento venæ famem & sitim excitant: Item naturaliter motu vehementiore nerui & cætera motus instrumenta delassantur: ita fiebant eadem in Christo: Esuriebat, sitiebat, defatigabatur, quia natura erat verè humana, & quidem etiam obnoxia morti & læsioni, sed non contaminata peccato. In enarra. ca. 4. Ioh. Tom. 3. op. 655.

REsponsio eadem est cum priore. Defatigatio tribuitur Christo per communicationem Idiomatum. Acrecitat hanc ipsam obiectionem Theodoretus in fine Dialogi 3. verba eius hæc sunt: Propheta

Esaias de diuina natura dixit: Non languefiet, neque defatigabitur, & quæ sequuntur: Euangelista autem dicit: Iesus defatigatus laboreitineris sedebat sic super fontem Est autem non defatigari, contrarium defatigationi. Pugnat igitur Prophetia cum historia Euangelica. Sed nequaquam pugnat, vtraque enim diuinitus edita est. Est igitur incircumscriptæ naturæ non fatigari? Omnia enim implet. Circumscripti verò corporis proprium est migrare de loco in locum. Quòd autem migrans iter facit, necessariò defatigatur, laborem itineris sentiens. Corpus igitur erat, quod iter faciens defatigabatur, Non enim confudit naturas vnio. Idem exemplum ptolixius declarat initio eiusdem Dialogi, vbi hæc verba imprimis obseruatione digna sunt, quæ summam doctrinæ de communicatione idiomatum complectuntur: Christi persona & hæc & illa propter vnionem recipit. Vnicuique autem naturæ conuenientia assignantur, incircumscriptæ quidem nullo loco contineri, migranti verò & progredienti, defatigatio. Et paulò post: Non in duos vnum diuidimus Filium, sed ad differentiam respicientes naturarum, consideramus quid conueniat diuinitati, & quid accommodatum sit corpori.

ARGVMENTVM XXI.

¶ Christus Matth. 11. nominat se minimum in regno cœlorum.

Non est igitur in eo natura diuina.

RESPONSIO.

In enarra. Euangelij Dominica 3 Aduent. Tom. 3. o-

Instituit ibi Christus collationem sui & Iohannis Baptistæ. Ac de Baptista dicit: Non surrexit maior, scilicet in officio. Quia etsi Prophetæ fuerunt gubernatores Politici, & repurgatores Ecclesiæ, & doctores Euangelij:

lij: tamen non inchoauerunt totum ministerium noui Testamenti, videlicet, prædicationem Euangelij & Baptismum: Non ostenderunt præsentem Christum: Non inchoarunt vniuersalem vocationem gentium. Quanquam autem nullius officium maius est, quàm Iohannis: tamen Christus sese excipit, cùm ait: Qui minimus est in regno cœlorum, est maior. Hoc dictum de persona Christi intelligo: qui vocat se minorem, Quia reuera Christus vera cordis humilitate vincit omnes Angelos & homines. Cùm enim perfectè norit Patrem, perfectissimè tribuit ei summum honorem, & se infra eum abijcit longius, quàm vlli Angeli aut homines. Arbitror etiam propter tantam humilitatem, à superbis angelis despectum fuisse, & hoc peccato lapsos esse angelos. Deinde in passione, Christus reuera etiam depressus est infra omnes homines, sicut Esaias inquit: Vidimus eum despectum & nouissimum virorum. Item, Ego sum vermis, & non homo. Hanc humilitatem Christi consideremus, & discamus deprimere superbiam nostram, admirationem nostri, fiduciam nostri, contemtum aliorum, impatientiam, securitatem, cupiditatem vindictæ, & similes affectus, qui oriuntur à superbia, sicut ipse dicit: Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. Dicit autem Christus se maiorem esse, scilicet, persona & officio. Christus enim non est tantùm Doctor, sicut Iohannes, sed ipse est Redemtor, Sanctificator, Viuificator, cuius fiducia accipimus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & vitam æternam.

per. 8. & 9. Item in enarr. Mat. Ibid. 454.

QVod Matth. 11. simpliciter dicitur, Non exortus est maior Iohannne Baptista, ex Luca cap. 7. exponendus est, vbi dicitur: Maior Propheta Iohanne Baptista nemo est. Confert enim Christus Iohannem

cum Prophetis Veteris Testamenti. Sicut eodem in loco inquit: Iohannem plus quam Prophetam esse. Ne quis autem Iohannis discipulos imitatus, huic vni intentus esset, & interea Christum ipsum, cuius ille præcursor & præco erat, negligeret, per correctionem subijcit: Qui minimus est in regno Dei, maior est eo. His verbis suam gloriam & authoritatem Christus asserit, ne quem vilis & contemta species offenderet, quam in carne assumta ostendit. Minimum enim in regno Dei se dicit, non quòd persona aut officio inferior sit, cùm sit non homo tantum, sed & Deus, & vnicus sit Redemtor & Saluator Ecclesiæ: sed partim quia seipsum humiliauit infra omnes Angelos & homines, adeo vt formam serui vilissimi susceperit; partim quòd hominum etiam iudicio, nemo vnquam contemtior & abiectior in terris visus est. Tantum igitur abest, vt ad negandam Christi diuinitatem, verba illa detorqueri possint, vt potius in summa illa humilitate debitam gloriam sibi integram Christus reseruet. Quasi dicat: Qualemcunq; me vulgò homines æstiment, sum tamen ipso Iohanne atq; omnibus Prophetis præstantior, adeoque is sum, cui præ omnibus gloria debetur, & qui meam gloriam alteri non dabo. Fallacia est igitur in argumẽto, à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Porrò interpretum nonnulli non de Christo ipso, sed de ijs, qui in nouo Testamento ministri sunt Christi, dictum illud accipiunt, vt sit sententia, Euangelij maiestatem eminere, non solùm supra legem, sed etiam super illud quasi medium præconium, quo Iohannes Baptista functus est. Nam si Iohannes propterea maior fuit reliquis ante se Prophetis, quòd Christum præcessit mox aduenturum, aut quòd præsentem ostendit: rectè dici posse existimant, quod ad officij præstantiam attinet, maiorem esse Apostolum, aut alium minorem quemq; Christi ministrum, qui non modo aduenisse Christum prædicet sed & regni illius mysteria annuntiet, & vniuerso orbi proponat. Etsi enim donorum ratione, longè infra Iohannem plerique alij censeri possunt, tamen id non obstat, quin excellentior sit eorum prædicatio, quatenus Christum proponit æterna expiatione per vnicum sacrificium peracta, mortis victorem & vitæ Dominum, & quasi velo sublato auditores suos in cœleste sanctuarium attollit.

DE VNIONE DVARVM NATVRARVM in Christo.

ARGVMENTVM I.

¶Impossibile est disparatum dici de disparato.

Sunt autem disparata Deus & homo.

Ergo impossibilis est prædicatio: Deus est homo, aut homo est Deus.

RESPONSIO.

In Dial. Ph. lib. 4. de dispa.

Nominantur apud Dialecticos disparata duæ species diuersæ. Ac regula traditur: Posita vna specie, remouentur omnes disparatæ. Sed ab hac regula vnica est exceptio: cùm enim Deus ordinem specierum talem condiderit & sanxerit, vt impossibile sit vnum individuum esse conflatum ex diuersis speciebus, vt, nihil idem possit esse lapis & homo: Tamen vnum admirandum exemplum, dissimile toti reliquo ordini naturæ, Deus proposuit, videlicet copulationem diuinæ & humanæ naturæ, in Filio Domino nostro Iesu Christo. Filius Dei est viua imago æterni patris, coæterna, & est homo natus ex virgine. Hic disparatum de disparato prædicatur. Estque hoc exemplum exceptum à communi

regula de disparatis. Sciendum est autem tantùm in concreto receptas esse has prædicationes: Filius Dei est homo, Deus est passus, &c. Nam appellationibus concreti Persona significatur, sed in abstracto naturæ seorsim considerantur. Ideo Ecclesia nequaquam sic loquitur: Diuinitas est humanitas, aut humanitas est diuinitas. Et eruditæ causæ sunt, cur hæc discrimina in modis loquendi seruentur, & hortandi sunt discentes, vt reuerenter Ecclesiæ matris sermonem imitentur.

MAior loquitur de prædicatione regulari seu vsitata, quæ congruit ad ordinem naturæ, quem Deus in creatione instituit. Non enim patitur natura, vt vnum individuum sit conflatum ex diuersis. Et hanc distinctionem specierum voluit Deus in rerum natura testimonium esse de se, & de prouidentia. Ideo in prædicationibus vsitatis non potest disparatum dici de disparato. Excipitur autem ab hoc ordine naturæ admiranda vnio duarum naturarum, diuinæ & humanæ in Christo Domino nostro, de qua Iohannes Euangelista inquit: Verbum caro factum est. Ideoque & propositiones de Christo, quæ à modis prædicationũ regularium discernuntur, inusitatæ vocantur, propterea quòd earum non sunt alia exempla in tota rerum vniuersitate. Videndum est tamen in hoc etiam genere, quas propositiones sermo Ecclesiæ receperit: Non dicimus in abstracto: Diuinitas est humanitas, aut humanitas est diuinitas. Et tamen in concreto rectè dicimus: Deus est homo: Homo est Deus. Significatur enim ἕνωσις ὑποστατικὴ duarum naturarum, quarum est ὑσιώδης διαφορὰ, & quarum quælibet retinet suas proprietates verè & realiter distinctas & inconfusas.

ARGV-

ARGVMENTVM. II.

¶ Iohan. 1. dicitur: Verbum caro factum est.

Significat autem fieri, mutationem seu conuersionem vnius rei in aliam, vt cum in nuptijs in Cana scribitur aqua facta esse vinum. Iohan. 2,

Est igitur λόγος mutatus in carnem.

RESPONSIO.

Cum dicitur: Verbum caro factum est, non cogitetur transmutatio seu conuersio verbi in naturam humanam: vt cùm dicis: Aqua est facta vinum: Cera est facta ignis. Nam λόγος est Persona diuina. Non igitur extinguitur neque conuertitur in aliam rem, sed assumta humana natura manet, & in ea lucet. Ideo & veteres sic declararunt propositionem Iohannis: Verbum assumsit naturam humanam. Plurimùm etiam vsa est Ecclesia vocabulo Vniendi, cuius sermonem nos quoque sequimur, Sed Iohannes ideo sic loquitur: Verbum caro factum est, vt doceat Verbum non tantùm adiunctum esse, vt comitem separabilem, sed factum esse hominem, & lucere in tota natura humana, quæ est ei vnita, ita vt sit vna persona. Non enim imaginandum est, humanam naturam tantùm fuisse hospitium diuinæ naturæ: sicut habitat Spiritus sanctus in renatis, & est in eis efficax: Sed duæ naturæ diuina & humana sunt vnitæ vnione hypostatica, vt veteres locuti sunt, hoc est, ita vt sit vna persona.

In enarra. 1. cap. Ioh. Tom. 3. o-per. 606. Et in loc. Theol. de Filio.

Hæc est simplex & perpetua Ecclesiæ sententia, & hortandi sunt pij, vt attentè considerent, quid Eccle-

In enarra. Sym. Nic.

Tom. 1. oper. 440. b & in postr. part. resp. ad art. Bauar. ibid. 387. Itē in chr. Ph. To. 5. ope. 235 & 241.

sia sentiat, & quomodo loquatur. Multum etiam lucis accedit huic doctrinæ, si veterum certaminum memoria in Ecclesia conseruetur. Mouerunt enim de hac propositione Iohannis controuersias Nestorius & Eutyches. Nestorius contendit, Christum natum ex virgine tantùm fuisse hominem. Sed huic humanæ naturæ affuisse diuinam, scilicet Filium æterni Patris, secundum assistentiam vt ipse loquebatur, id est, humanam naturam tantùm fuisse hospitium seu domicilium diuinæ naturæ. Nec fuisse vnitas duas naturas vnione personali. Hæc controuersia in magna frequentia in Synodo Ephesina diiudicata est, anno à natali Christi CCCCXXXV. sub Theodosio secundo. Post Nestorium Eutyches confusionem naturarum finxit. Dixit naturam humanam conuersam esse in λόγον. Nec tribuit proprietates suas cuique naturæ. Ac contendit λόγον mortuum esse, & naturam humanam esse ipsam τοῦ λόγου naturam. Dictum Iohannis: Verbum caro factum est: interpretatus est hoc modo: Verbum factum est carneum. Hæc pestis latè vagata est, & diu hæsit, videlicet à fine Theodosii secundi vsque ad Iustinianum. Cúmque Theodosius secundam Ephesinam Synodum indixisset propter eam controuersiam: tanta fuit rabies in defensoribus Eutychis, vt Flauianus Episcopus Constantinopolitanus verberibus expulsus ex consessu, postea mortuus sit. Propter eos tumultus Synodus illa dicta est λῃστρικὴ. Quadriēnio pòst Martianus Synodum Chalcedonensem indixit, qui decreta fecit pia contra confusionem naturarum in Christo. Nec tamen extinctum est illud incendium. Sed multi Episcopi etiam postea magnis contentionibus Synodo Chalcedonensi aduersati sunt. Accuratè autem refutarunt Eutychem Theodoretus & Vigilius Martyr. Sem-

SEmper pia antiquitas in dicto Iohannis, verbum ἐγένετο, ex Pauli Philip. 2. & Hebr. 2. & 5 declarauit per vocem Assumendi, sæpe etiam vocabulo Vniendi vsa est. Quia prudenter insidiæ hæreticorum cauendæ fuerunt: Nam Sabellius, Samosatenus, & similes sic interpretati sunt vocem ἐγένετο vt dicerent, Verbum antea non fuisse ὑφισάμενον: Sed tunc cœpisse primùm, cùm formata fuit caro in vtero Mariæ virginis. Hoc dogma Nestorius renouauit, etiamsi aliquanto aliter pingeret. Quia hoc ipsum docuit, τὸν λόγον tantum per auxilium, seu assistentiam affuisse carni seu homini, vt cùm de sanctis dicimus, quòd fiant templa & domicilia Dei. Secuti sunt Eutychiani, quorum multa fuerunt agmina. Alij diuinam naturam τοῦ λόγου in incarnatione desijsse, & in naturam humanam mutatam atque conuersam esse finxerunt, propemodum vt dicimus, aquam vinum factam esse: id est: substantiam aquæ in substantiam vini mutatam esse. Nonnulli & ex commixtione duarum naturarum aliam quandam tertiam extitisse naturam somniarunt, vt cùm in physicis ex mixtione diuersarum specierum nouum aliquod corpus compositum enascitur. Quidam & humanam naturam annihilatam, & à diuina absorptam esse dixerunt, vt cùm cera fit ignis. Quibus non dissimiles sunt Stenckfeldiani, qui confusionem proprietatum & actionum in naturis comminiscuntur. Aduersus has fallas & impias hæreticorum imaginationes, vnanimi consensu Ecclesia orthodoxa omnium temporum prudenter verbum ἐγένετο declarauit per vocem assumendi, seu vniendi, & ipsam vnionem nominauit hypostaticam: non modò vt Samosatenum refutaret, qui negauit λόγον ante incarnationem fuisse ὑφισάμενον, sed etiam vt contra Nestorium, & illa multiplicia agmina Eutychianorum retineret in Christo, tùm Personæ vnitatem, tum natura-

rum distinctionem, Ac summa orthodoxæ fidei in hoc articulo continetur in hac confessione Ecclesiæ: Deus homo factus est, Id quod erat, permansit, & quod non erat assumsit: Et in Symbolo Chalcedonensi: Confitemur vnum & eundem Iesum Christum, Filium, Dominum, vnigenitum, in duabus naturis ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, id est, absque confusione, mutatione, distractione, separatione cognitum atque prædicatum: haud quaquam naturarum differentiam vnione tollente, sed proprietatem potius conseruante vtriusque naturæ, quæ ad Personam seu hypostasin vnam concurrit, &c.

ARGVMENTVM III.

¶ Λόγος ab omni æternitate est Persona.

Λόγος certo tempore assumsit integram naturam hominis, quæ cum constet corpore & anima, etiam ipsa videtur Persona esse, vt manifestum est, singulos homines esse singulas personas.

Sunt igitur in Christo duæ Personæ.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 220. Item: To. 1. op. 441.

Respon. sumenda est ex doctrina de modo assumtionis, λόγος *assumsit humanam naturam, seu certã massam ex genere humano, non solùm inseparabiliter, sed etiam tali vnione, vt & vnum ὑφισάμενον sit* λόγος, *& assumta natura: Et sicut hæc persona* λόγος *æterna est: ita postea impossibile sit, hanc massam ipsi insertam non simul manere, iuxta dictum, quod notissimum esse debet omnibus: naturam humanam, quam semel assumsit* λόγος, *nunquam deserit. Nominarunt autem veteres*

veteres hunc modum assumtionis vnionem hypostaticã, qua sic describitur, quod sit vnio, qua Persona assumit naturam: ita vt sustentet eam, quæ alioqui non esset, nisi sic sustentaretur. Non igitur habet natura humana in Christo, rationem personæ per seipsam, sicut Petrus aut Paulus, aut cæteri homines. Sed dependet singulari ordine ad hanc diuinam personam Filium, vt ab ea sustentetur & conseruetur, & rationem personæ cum diuina natura Filij accipiat. Id veteres scriptores sic declararunt: persona terminat dependentiam naturæ assumtæ, id est, natura assumta talem habet ordinem ad personam assumentem, vt massa illa non esset, nisi sic assumta esset. Hîc igitur & personæ descriptio consideranda est. In articulo de Trinitate dicitur: persona est substantia, viua, indiuidua, intelligens, incommunicabilis. Hîc necesse est addi, non sustentata ab illo. Etsi enim hanc postremam clausulam comprehendant scriptores in vocabulo incõmunicabilis, quia dicunt idem esse, naturam humanam vniri æterno Filio & ei communicari, & ab eo sustentari ac conseruari: tamen declarationis causa prodest hanc particulam addi: Quæ non sustentatur neque conseruatur in alio. Cùm igitur humana natura in Christo sustentetur à diuina, ita vt non esset humana, nisi sic sustentaretur, non sunt duæ personæ diuina & humana, sed sunt vnica persona, & diuina sustentatrix terminat ordinem alterius naturæ, vt iam sint vnum ὑφισάμενον, & actiones ac passiones tribuantur personæ propter illam arctissimam vnionem.

VT sententia argumenti & summa responsionis sit clarior, cogitetur eandem obiectionem etiam hac forma proponi solere.

Persona est substantia, viua, indiuidua, intelligens, incommunicabilis.

In Christo nato ex virgine sunt duæ substantiæ viuæ, intelligentes, incommunicabiles.

Ergo in Christo sunt duæ personæ.

Hic ad maiorem respondendum est: Persona est substantia viua, & indiuidua, intelligens, incommunicabilis, scilicet, quæ nec sustentatur, nec conseruatur in alio. Rectè enim intelligenda est vox incommunicabilis: Qua significatur vel natura talis, quæ habet proprietatem certam, distinctam ab alia natura: vt cùm anima dicitur, propter essentiam spiritualem, intelligentem, immortalem, distincta esse à corpore: vel significatur ὑφισάμενον completum, quod non est sustentatum in alio, nec conseruatum ab alio, vt corpus & anima in homine sunt vna persona integra. Hoc posteriori modo in scholis Theologicis olim vocabulũ incommunicabile explicarunt. Ideoque dixerunt: Nihil interesse inter has phrases, Humana natura vnitur τῷ λόγῳ, vel ei cõmunicatur. Sed ne quid obscuritatis relinqui videatur, huic ipsi voci incõmunicabile, in definitione personæ vsitata nostris Ecclesijs, maioris perspicuitatis gratia additur particula. Non sustentatũ ab alio, vt sit persona subsistens, viuum, indiuiduum intelligens, incõmunicabile, non sustentatũ ab alio, vt Persona est homo constans ex anima & corpore. Ipsa verò anima quamuis rectè dicitur esse substantia, viua, intelligens, indiuidua, & proprietatem suam habet incommunicabilem, qua differt à natura corporis: tamen ὑφισάμενον seu persona nominari nec debet nec potest, nec tunc quidem, quando corpus in morte deseruit. Sic enim condita est, vt non sit integrum seu completum quiddam sine corpore. Sed altera pars substantiæ hominis, & vt veteres locuti sunt, catenus quiddam cõmunicabile, quatenus semper, etiam post separationem habet se relatiuè ad corpus, id est, ordine diuino pendet à corpore, cui vt vnita fuit ante mortem sic rursus copulabitur in resurrectione mortuorum.

rum. Iam verò & hominis corpus solum, non est Persona, cùm non sit natura intelligens, & sit quiddam sustentatum ab alio, videlicet ab anima, qua discedente dissoluitur.

Declarata maiore propositione intelligi potest, quid ad minorem respondendum sit. Non enim humana natura Christi, rationem personæ habet. Quia certum est quod dependeat singulari ordine à diuina τῷ λόγῳ, videlicet vt in ea & ab ea gestetur, sustentetur & conseruetur, vt quæ non esset, atq; etiam in nihilum redigeretur, nisi λόγος sustentaret & viuificaret.

Nec verò difficile est hanc respõsionem accommodare etiam ad præcedentem formam huius obiectionis: Quia ibi quoque non rectè confertur in minore, humana natura Christi cum alijs indiuiduis in genere humano: Nam in Filio Dei nato ex virgine, humana natura non habet rationem Personæ per seipsa, sicut Petrus aut Paulus, aut cæteri homines, sed mirando fœdere copulata seu vnita est τῷ λόγῳ, & talem habet ordinem ad diuinã Personam Filij vt ad eam dependeat, tanquam ad gestatricem, sustentatricem & conseruatricem ipsius, & vt veteres olim locuti sunt, accipiat rationem personæ cum ea, terminante ordinem alterius naturæ, vt iam sint vnica persona, ὁ λόγος assumens, & caro assumta. Hoc prodest considerare piè ac sobriè, vt aliquo modo intelligi possit discrimen aliorum modorum præsentiæ Dei in creaturis & vnionis hypostaticæ, quæ constituit vnam personam ex duabus naturis, ita vt manente sua cuiusque naturæ proprietate, verissimum sit, naturas illas reipsa distinctas & inconfusas, non tamen duas esse personas, neque alium esse assumentem, quàm assumtum: quanquam aliud sit assumtum, aliud à quo assumtum est. Nec ad ociosam speculationem, sed ad doctrinam & consolationem dulcissimam hæc consideratio transferatur, videlicet vt cogitetur massam assumtam sustentari à λόγῳ, & accipere ab eo vt sit & subsistat. Deinde nos quasi pendentes de illa massa gestari, ne rediga-

mur in nihilum, & vt veluti surculi seu palmites huic arbori seu viti inserti fide, hauriamus ab eo vitalem succum & spiritum, quo regeneremur atque viuificemur ad vitam æternam.

ARGVMENTVM. IIII.

¶ Deus est in Christo.
Deus est in sanctis.
Ergo Christus non est aliter **Deus quam cæteri sancti.**

RESPONSIO.

In respon. de cont. Stan. To. 1 op. 346. b. In enarra. S. c. ep. ad Coll. in exam. Th. & alibi pas sim.

Considerandum est discrimen vnionis hypostaticæ in Christo: & aliorum modorum præsentiæ Dei in creaturis. Primùm igitur sciendum est, esse præsentiam vniuersalem, qua tres personæ adsunt omnibus creaturis, bonis & malis, quoad conseruationem substantiarum, tantisper donec conseruantur. Manifestum est autem, hanc præsentiam separabilem esse, quia Deus destruit Pharaonem & alios, cùm vult destruere.

Secundò, Est alia præsentia, qua adest Deus beatis Angelis & hominibus, videlicet, non tantùm substantias ipsorum conseruans, sed etiam communicans se eis, complens eos sua luce & iustitia, & viuificans eos vita æterna, ita vt coràm cernant Deum. Quanquam autem non discedit ab eis: tamen beati sunt tantùm hospitia & templa Dei, à quibus discedere Deus posset. Et excepto Christo, quilibet beatus est ὑφιστάμενον per se subsistens, non est Deus ipse.

Tertiò, Est præsentia alia, qua adest Deus renatis in hac vita, non tantùm conseruans substantias sed etiam

am per Filium & Spiritum sanctum inchoans in eis nouam lucem, & motus sibi placentes. Nec tamen cernitur Deus, vt in vita æterna, sed per verbum fide agnoscitur. Hanc præsentiam separabilem esse affirmat Scriptura, & ostendunt tristissima exempla, sicut dicitur: Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Quartò: Longè alia est præsentia, qua nominatur vnio personalis, qua scilicet secunda persona diuinitatis λόγος assumit humanam naturam, non solùm inseparabiliter, sed ita vt sit vnum ὑφιστάμενον & sustentetur natura humana assumta, & quasi gestetur in λόγῳ. Paulus hunc modum nominat σωματικῶς in Christo habitare Deitatem, id est, non effectiuè tantum, sed vt sit vnum σῶμα, id est, vna persona, vt nos loquimur.

RESponsio sumitur ex distinctione graduum præsentiæ Dei in creaturis. Necesse est enim intelligi, non eodē modo accipi posse omnia Scripturæ dicta, quæ præsentiam Dei describunt Cùm in versu vulgari dicitur: Enter præsenter Deus hîc & vbique potenter: significatur primus gradus, qui vsitatè nominatur vel præsentia vniuersalis, vel conseruationis, nec differt à generali actione. Postea duo sunt alij modi præsentiæ Dei, specialis, vt cùm Paulus inquit: Tunc Deus erit omnia in omnibus, videlicet describens præsentiam Dei, qua visibiliter & immediatè adest beatis Angelis & hominibus in tota æternitate, Et rursus: Vos templum Dei viuentis estis. sicut inquit Dominus: habitabo in eis, &c. vbi præsentiam Dei in sanctis seu renatis in hac vita describit, quæ nominatur præsentia sanctificationis, qua per fidem habitat & efficax est diuinitas in cordibus eorum, qui audiunt vocem Euangelij & rectè vtuntur Sacramentis. Ab his verò gradibus in infinitum discerni oportet dictum eiusdem Apostoli: Deus erat in Christo; quo significatur quar-

1.

2.

tus præsentiæ gradus, qui nominatur vnio hypostatica, quam tota antiquitas dixit copulationem esse ἄῤῥητον seu ineffabilem, qua ὁ λόγος, qui est secunda Persona diuinitatis, massam certam ex genere humano in vtero virginis à Spiritu sancto sanctificatam assumit, & sibi copulat non solùm inseparabiliter, sed etiam secundum hypostasin.

ARGVMENTVM V.

¶ Tota antiquitas scripsit vnionem duarum naturarum in Christo esse ἄῤῥητον, id est, ineffabilem seu inexplicabilem.

Frustra igitur adhibentur similitudines sumtæ ex natura rerum, vt ab homine aut alijs rebus naturalibus, quarum nulla prorsus ad illam mirandam vnionem congruit.

RESPONDEO.

In dial. 4. in loco simili. In lo. Th. de Filio Item in enar. Sym. Nic. To. 1. op. 440. & 441.

In similitudinibus satis est collationem facere in his partibus, quæ congruunt. Nullum enim simile est idē, hoc est, semper in his quæ sunt similia, seu quorum est aliqua conuenientia, circumstantiæ aliquæ sunt dissimiles. Ideo crebro dici solet: Omnis similitudo claudicat. Item, Simile non currit quatuor pedibus. Sic igitur & in hoc articulo, qui longè positus est supra omnium creaturarum captum, quæsitæ sunt qualescunque vmbræ, ad huius mirandi fœderis declarationem, vt: An sit qualiscunque similitudo copulatio animæ & corporis. Item: an qualiscunque similitudo sit ramus insitus trunco. Item: mixtorum seminum vis in rebus natis, aut subiectum sustentans accidentia, vt aqua calorem. Etsi autem

tem nullum exemplum in creaturis prorsus congruit: tamen collatio aliquid lucis affert, cùm videmus vbi sit discrepantia. Ideo veteres, etsi fatebantur vnionem esse ἄῤῥητον: tamen docendi causa, vt aliquo modo hanc vnionem declararent, sæpe hac similitudine vsi sunt, sumta ab homine: Sicut anima hominis & corpus sunt vnum ὑφισάμενον, completum, & corpus dissoluitur desertum ab anima, ita λόγος & assumta natura sunt vnum ὑφισάμενον, & redigeretur in nihilum humana natura, si non sic gestaretur in λόγῳ. Multò longiùs abest similitudo, & vt ita dicam, pictura, cùm dicunt humanam naturam insertam esse diuinæ, vt surculi inseruntur alienæ arbori. Sed his qualibuscunque picturis vetustas voluit aliquo modo beneficia huius copulationis ostendere. Massa assumta sustentatur à λόγῳ & accipit ab eo, vt sit & subsistat. Deinde nos quasi pendentes de illo surculo gestamur. Reuerenter considerandum est consilium Dei, & gratiæ Deo agendæ sunt, quòd misit Filium, & hac miranda assumtione fœdus nobiscum facit, & ostendit ingentem amorem erga nos. Ac quanquam dissimilitudo in his imaginibus considerandæ est: tamen sæpe cogito, hanc ipsam ob causam in homine sic copulata esse animam & corpus, vt sit vnum ὑφισάμενον, vt aliquo modo typus esset huius arcanæ copulationis, qua λόγος assumsit humanam naturam, & viuificans illam suam massam, restituit vitam membris suis.

Origenes etsi similitudinem huius coniunctionis propriam afferri posse negat: tamē cōparat eam ferro ignito. Sicut ignis penetrat ferrum, & vndiq; ei miscetur: Sic λόγος assumens humanam naturā lucet in ea tota & natura humana velut accēsa lumine: λόγῳ vnita est.

Possumus docendi causa & hac Origenica vmbra vti: vt fumus in flamma fit ignis: Ita vtcunque cogitemus, arctissimam esse copulationem diuinæ & humanæ naturæ, & in tota humana natura lucere diuinam, & neutram deletam esse. Interdum & imagine sponsi ac sponsæ vsi sunt scriptores. Nam humana natura in Christo dependet singulari ordine ad λόγον, vt ab ea sustentetur & conseruetur, & rationem personæ cùm λόγῳ assumente accipiat. Hic quasi complexus naturæ imbecillis & finitæ dependentis ad infinitam, significatus est hac imagine, quòd Filius complectatur humanam naturam, quam assumit, vt sponsus sponsam. Sed tamen in his imaginationibus omnibus aliqua est dissimilitudo.

IN argumento est fallacia à dicto secundum quid. Non potest oratione vlla satis declarari mysterium fidei de vnione personali duarum naturarum in Christo. Item, Nullum exemplum huius vnionis in creaturis monstrari potest, quod prorsus congruat. Ergo non sunt docendi causa vsurpandæ vllæ similitudines ad huius mysterij qualemcunque declarationem. Hanc consequentiam vitiosam esse manifestum est. Etsi enim non modò orationem, sed etiam intelligentiam humanam omnem, superat magnitudo huius arcani mysterij & imagines illæ, quæ adhibentur declarationis causa, non planè exprimunt modum huius admirandi fœderis duarum naturarum in Christo: tamen scimus hæc arcana Ecclesiæ patefacta esse, vt aliquo modo cogitemus hoc admirandum beneficium, quòd Filius Dei arctissimo fœdere sibi naturã humanã copulauit. Ac rectè à Nazianzeno dictum est: Admiratione huius fœderis accendi pectora, etiamsi penitus perspici opus tam arcanum non potest. Non sunt igitur negligendæ imagines seu vmbræ, quas vetustas orthodoxa proposuit. Quæ cùm piè, reuerenter ac sobriè considerantur; collatio similitudinis illustrat doctrinam

ctrinam. Quare & Athanasius in Symbolo hac collatione vtitur: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo: Ita Deus & homo vnus est Christus.

ARGVMENTVM VI.

¶ Copulatio duarum naturarum in Christo talis est, qualis est animæ & corporis in homine.

At corpus deseritur ab anima in morte. Itẽ, anima quandiu est in corpore, sic inclusa seu colligata est corpori, vt rectè dici possit, vbicunque sit anima, ibi etiam esse corpus, & vicissim.

Ergo non est absurdum, eadem quoque dicere de copulatione duarum naturarum in Christo.

RESPONSIO.

Verum est. copulationem animæ & corporis admirandam picturam esse huius noui fœderis duarum naturarum in Christo, & multa congruunt. Anima est tanquam gestatrix corporis. Et quanquam fons est actionum, & aliæ actiones propriæ sunt animæ, vt intelligere numeros, aut Deum, aut vniuersalia: Aliæ propriæ corporis, vt concoquere cibum & potum, nutrire corpus: tamen societas talis est, vt actiones rectè tribuantur Personæ. Homo intelligit, Homo concoquit cibum. Sic Persona diuina ὁ λόγος gestat humanam naturam, ita vt sit sustentatrix & conseruatrix eius. Et quanquam proprietas sua cuiusque naturæ manet, tamen quia per-

In enarra. Sym. To. 1 oper. 441. & in resp. de contr. Stanc. ibi. 347.

sona diuina sustentat & conseruat humanam, & Persona vna est, verae sunt hae propositiones in concreto, Deus est homo, Deus est passus. Cogitandum est autem, multa esse dissimilia in hac imagine. Et sit notum Irenaei dictum: Aliqui vnionem velut animae ad corpus cogitantes, sic declarauerunt. Id exemplum concinnum quidem est, quanquam non prorsus congruit, sed tamen secundum aliquid congruit. Etsi igitur docendi causa copulatio animae & corporis dicitur imago huius mirandi foederis duarum naturarum in Christo: tamen haec dissimilitudo in conspectu est. Anima deserit corpus in morte. At natura diuina nunquam deserit humanam naturam in Christo, nec corpus nec animam, ne quidem postquam discessit anima à corpore. Ac saepe recensetur dictum Damasceni: λόγῳ quod semel assumsit, nunquam deseruit, nec deseret. Nota sint etiam verba Athanasii de natura diuina in Christo, in libro de incarnatione Verbi: Non ita est in corpore λόγῳ, vt alibi non sit: nec ita mouet corpus, vt desit alijs creaturis, sed mirando modo, cùm λόγῳ sit, à nullo comprehenditur, sed ipse comprehendit omnia, & cùm in omni creatura sit, tamen alia substantia est à creaturis. Animae nostrae etsi cogitant res extra corpus, eas tamen non mouent. Non enim agitant Solem, quanquam moueri eum cernunt: non sic est λόγῳ in assumta natura. Non enim incluſus est, sed ipse continet corpus, & simul est in sinu aeterni Patris, & adest creaturis.

In enarra. epist. ad Rom. To. 4. op. 143.

AButuntur similitudine de copulatione animae & corporis Stenckfeldiani, & alij, qui portentoso dogmati de vbiquitate naturae humanae in Christo patrocinantur. Nam vnionem duarum naturarum in Christo ita factam esse comminiscuntur, quasi tota natura

natura diuina concluſa sit in humana assumta, & vt anima corpori incluſa, non est simul extra corpus: Ita cum necesse sit fateri λόγον vbique esse, eandem proprietatem etiam humanae naturae Christi secundum sese tribuunt. Sed opponenda est regula: Simile non est idem. Quamobrem etsi imago copulationis animae & corporis concinna est, si collatio fiat earum partium quae congruunt: tamen non est hoc exemplum detorquendum ad ea quae sunt dissimilia, cùm negari non possit, infinitum esse discrimen inter naturam finitam & infinitam. Anima ita est in corpore, vt non sit extra corpus, quod agitat & viuificat. At λόγῳ etsi naturae assumtae ita adest, vt sit ei vnitus hypostaticè: tamen non est incluſus corpori. Nam & tunc cùm in vtero matris & in terris erat, simul fuit in cœlo, & in sinu Patris, & in singulis non modò creaturis sed etiam sanctis, in quorum cordibus habitat per fidem. Monstrat & alia quædam dissimilia, in imagine copulationis animae & corporis in homine, Iustinus Martyr in expositione fidei, vbi hoc insigne eius dictum est: Credo vbique esse Verbum per essentiam: & eximio quodam modo in suo templo.

Memorabile est etiam Gregorij Nisseni dictum, citante Theodoreto dialog. 2. Quis hoc dicit, quòd circumscriptione carnis, quasi quodam vase & receptaculo naturam infinitam cõtineatur? Item, Si hominis anima necessitate naturae copulata corpori, vbique est celeritate cogitationum, quae necessitas cogit nos dicere, naturae carnis, diuinitatem incluſam esse?

ARGVMENTVM VII.

¶ Christus clamat in cruce: **Deus meus quare me dereliquisti?**

Ergo in passione facta est separatio naturae diuinae & humanae in Christo.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 225.

Antecedens est intelligendum de tempore humiliationis. Non hoc dicit, separatam esse naturam diuinam ab humana: sed pati naturam humanam, & nondum sentire liberationem. Verum est autem, non ipsam laceratione corporis, non horrendam suspensionem in cruce sic ferire animos cogitantes de passione Christi, sicut hic tristis clamor: Deus Deus meus quare derelinquis me? Tristissima vox est, & querela de sensu acerbissimi doloris, de desertione seu abiectione à Deo, quasi dicat: Non lamentor propter corporis laceratione, aut propter mortem, sed propter aliud longè tristius malum, quod tu me relinquis, quòd non sentio in corde lætitiam, quam sentiunt alij sancti, quos consolaris. Imò sentio te horribiliter irasci peccatis generis humani, propter quæ ego nunc reus sum, coram te inquam. Non esset mihi acerbissimum mundi iudicijs improbari, sed tuam iram sentire triste est. Etsi autem non potest magnitudo dolorum Christi, aut verbis humanis exponi, aut cogitatione comprehendi: tamen necesse est pios aliquo modo eos considerare vt discamus iram Dei aduersus peccata, & aliquo modo celebremus magnitudinem oneris quod pro nobis Christus sustinuit. Et cùm Deus hæc per Prophetas & Apostolos sæpe repetat, vult certè sonare hanc doctrinam in Ecclesia. Ideo excitemus mentes ad harum maximarum rerum cogitationem, & oremus Deum, vt lucem in cordibus nostris accendat, vt hunc Christi agonem, & hoc tantum beneficium magis magisq; intelligamus, & pro eo gratias agamus.

In enarra. Ioh. cap. 19. Tom. 5 oper. 864.

QVerela Christi luctantis in cruce, sumta est ex Psalm. 22. qui totus considerandus est, si aliquo

quo modo volumus considerare, quàm tristis sit hæc sententia. Sic autem quæritur Christus, non quòd natura diuina sit separanda ab humana: Nam ne quidem in morte discessit ὁ Λόγος à corpore vel anima: Etsi verè facta est dissolutio animæ & corporis moriente Christo in cruce. Sed hoc significatur, Christum tunc nondum sensisse consolationem & liberationem in illa tristissima passione, cùm æternus Pater in supplicio huius victimæ, non mox liberaret eum ex morte, sed permitteret eum horribilibus malis in anima & in corpore excruciari, & λόγος in Christo quiesceret, id est, non vteretur sua potentia contra vocationem, vt humana natura crucifigi & mori posset propter peccata generis humani.

ARGVMENTVM VIII.

¶ Rectè dicitur: Patiente Baptista patitur Deus, sicut dicitur: Patiente Christo patitur Deus.

Non est igitur discrimen præsentiæ Dei in Christo & alijs sanctis.

RESPONSIO.

Ingens dissimilitudo est harum propositionum: Patiente Baptista Deus patitur, iuxta dictum: Quicquid feciſtis vni ex minimis meorum, mihi feciſtis: Et huius propositionis: Patiente Christo Deus patitur.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 322. Item: in Respons. de controuers. Stancari. Tom. 1. oper. 34.

Prior propositio vera est per metaphoram, scilicet quia relatio, hoc est, contemtus ad Deum pertinet: vt contumelia, qua afficitur legatus, pertinet ad Dominum, scilicet relatione seu cogitatione. Sed in altera propositione: Christo patiente Deus patitur, non est me-

taphora: sed significatur personæ vnitas, videlicet, quòd hæc persona patiens verè sit Deus, etiamsi laceratio tantùm fit in corpore. Non est enim intelligenda Physica confusio naturarum. In hoc, qui moritur, est natura diuina, sed hæc ad tempus quiescit, & vult istam humilitatem.

NOn potest certius agnósci discrimen propositionum, quæ conferuntur in Antecedente, quàm si considerentur diuersi gradus prædicationum. Cùm dicitur: Baptista patiente Deus patitur, prædicatio est figurata. Quanquam enim Deus ei adest: tamen vulnus est personæ, quæ non est Deus. Relatio tantùm, id est, contumelia seu contemtus ad Deum pertinet, vt si quis dicat, legato principis alicuius patiente, pati Principem ipsum, videlicet, quia contumelia, qua legatus afficitur, refertur ad Principem. Sed illa relatio nihil est aliud, quàm cogitatio in mente Principis, iudicantis se affici contumelia, cùm ipse ictus seu plaga, qua vulneratur legatus, non excipiatur corpore principis. At verò cùm dicitur: Christo patiente patitur Deus: non est prædicatio figurata seu metaphorica, sed inusitata. Et tamen verissima est, scilicet per communicationem idiomatum, quia intelligitur pati hæc Persona, quæ est Deus. Nam hoc corpus Christi quod laceratur, non est Τίλυ ἀνθρώπυ σῶμα: sed est Filij Dei corpus, quod sibi vniuit vnione hypostatica.

DE

DE HVMANA NATVRA CHRISTI.

ARGVMENTVM I.

¶ In Matthæo inquit textus: Quod natum est in ea, est ex Spiritu sancto. Ergo Spiritus sanctus dici potest Pater Christi secundum humanam naturam.

RESPONSIO.

HOrtandi sunt discentes, vt in toto articulo de Filio Dei considerent, quomodo loquantur eruditi in Ecclesia in propositionibus, quarum in docendo vsus est, & receptas formas iudicijs veræ Ecclesiæ piè custodiant. Nam in hac causa præcipuè periculosa est mutatio. In enarra. Sym. Nic. To. 1. op. pag. vlt.

Nec rixandi causa quærant captiosè dicta, quibus in docendo nihil opus est. Potius huius mirandi consilij beneficia considerentur, quare Filius Dei missus sit, vt fieret victima, & cogitatione iræ Dei aduersus nostra peccata expauescamus, & rursus erigamur consolatione agnoscentes immensam misericordiam, qua nos Deus propter Filium certò recipit.

Quærunt an Spiritus sanctus dici possit Christi Pater, cùm dicat textus in Matthæo: Quod natum est in ea, est ex Spiritu sancto. Respondeo, Pater tantùm dicitur, qui suam substantiam transfundit in id, quod gignit. Ideo Spiritus sanctus etsi format in aluo virginis, corpus nascentis Messiæ: tamen nequaquam no-

minatur Pater, quia non transfundit suam substantiam. Sed sit modus talium quæstionum.

IN antecedente, distinguendũ est inter formationem nascentis Messiæ in vtero Mariæ virginis (quæ propter modum conceptionis præternaturalem, & propter sanctificationem Spiritui sancto tribuitur) & inter generationem, quæ propriè est transfusio substantiæ gignentis in id quod gignitur (quæ Spiritui sancto tribui non potest.) Non enim gignit Spiritus sanctus ex sese massam naturæ humanæ, quam assumsit ὁ λόγος, neque tamen vel ex nihilo creata, vel aliunde corpus cœleste apportat in vterum Mariæ virginis, vt Manichæi finxerunt: Sed carnem & sanguinem in ipsa Maria sanctificans, inde carnem Christi format. Quam eodem momento æternus ille Dei Patris Filius, verè & natura Deus, in vnam eandemque personam sibi vnit, ita vt nec Deus in hominem, nec homo in Deum mutetur. Nec rursus duo Christi constituantur, quorum vnus sit Dei, alter verò Mariæ Filius, sed vnus sit Filius Dei in carne manifestatus, & vnus inter Deum & homines Mediator. Etsi autem modo præternaturali & inenarrabili Christus secundum carnem conceptus est, vi & efficacia Spiritus sancti: Tamen verè, vt Symbolum Athanasij profitetur, ex substantia matris virginis natus est: Ideoque cum dicto apud Matthæum: Quod in ea genitum est: conferantur verba Angeli apud Lucam: Id, quod EX TE nascetur, &c. De quo loco rectè scripsit Athanasius in Epistola ad Epictetum Episcopum Corinthiorum: Gabriel planè ac certò nuncium exposuit Mariæ, cùm nõ simpliciter diceret: Quod nascitur in te, ne quis existimaret corpus in ipsam foris introductum: Sed EX TE, nempe vt natum fore ex ipsa crederemus, quod natum fuit. Pertinet huc & Pauli testimonium ad Gal. vbi dicitur misisse Deus Filium suum natum ex muliere. Quia enim commixtione seminum propagatur immunda natura,

natura, & infecta morbo originis: ideò Deus voluit nasci Christum sine vlla commixtione: & tamen vt esset semen Abrahæ & Dauidis, sumta est massa sanctificata per Spiritum sanctum ex virgine.

ARGVMENTVM. II.

¶Caro significat corpus hominis, non totum hominem.

Non igitur totam seu integram humanam naturam assumsit Filius Dei, cum Euangelista tantum carnis mentionem faciat: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.

RESPONSIO.

In narratione Iohannis caro intelligatur non tantùm corpus, sed totus homo. Nam λόγος assumsit corpus & animam humanam. Sed cur maluit Euangelista vti appellatione carnis? Cur non dixit, λόγος factus est homo? Etsi hoc voluit: Nam Christus verè est homo, habens corpus & animam, vt alia multa testimonia testãtur, tamen Phrasi scripturæ pro homine dixit carnem, vt significaret imbecillitatem & mortalitatem. Talis enim natura assumta est, quæ est mortalis, & quidem subiecta horrendæ iræ & iudicio Dei aduersus peccatum humani generis. Quam iram hac imbecillis & mortalis caro in Christo sustinuit. Hanc inenarrabilem humiliationem significauit Euangelista appellatione carnis. In enar. Ioh. To. 3. op. 606.

Vt autem Euangelista vsus est nomine carnis, & naturam humanam, & imbecillitatem significans: ita Paulus Philip. 2. ait, Christum formam serui assumsisse, & Ibid. 607.

factum esse in similitudine hominum, & habitu inuentum esse vt hominem, videlicet & naturam humanam complectens, & describens imbecillitatem. Vult enim docere, quòd Christus verè homo mortalis fuerit, & affectibus naturalibus omnibus praditus: Esurijt, sitijt, defatigatus est, metuit, sperauit, doluit, lætatus est, lachrymauit, iratus est, sensit tantam mœstitiam, vt sudaret sanguinem. Cùm enim esset victima pro genere humano, expertus est sensum iræ Dei aduersus peccatum in genere humano. Cæterùm & hoc dicendum est. Etsi in Christo humana natura mortalis, verè fuit humana natura: tamen fuit sine peccato. Fuerunt in eo omnes appetitiones ordinatæ, quales Deus condidit. Fuit appetitio cibi, potus, defatigatio, dolor corporis, metus, spes, tristitia, lætitia, ira, zelus. Sed hæc fuerunt ordinata & sine peccato, vt ad Hebr. 4. dicitur: Habemus Pontificem tentatum per omnia sine peccato.

FAllacia est æquiuocationis. Etsi carnis appellatio alibi vsurpatur aliter: tamen semper regulam in conspectu esse oportet, quæ iubet considerare, quæ significatio vnicuiq; loco maximè congruat. Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 3. tres significationes vocabuli carnis recenset. Primùm hac appellatione significatur totus homo, vt hoc loco Iohan. 1. & Esa. 40. Omnis caro videbit salutare Dei. Et Ioel. 2. Effundam super omnem carnem de Spiritu meo. Secundò pro corpore vsurpatur, vt Luc. 24. Spiritus carnem & ossa non habet. Item 1. Corin 15. Alia caro volucrum, alia piscium, &c. Tertiò complectitur opiniones & effectus carnales, vt Rom. 8. Sensus carnis. Iohan. 3. Quod ex carne natum est, caro est. Cur autem carnis potius quam hominis vocabulo vsus sit Euangelista: causæ duæ

duæ sunt. Primùm enim euidentius hac voce exprimitur veritas naturæ humanæ, ne quis putet corpus imaginarium à verbo susceptum esse, vt Basilides, Marcion, Manichæi, dixerunt Christum δοκήσει ἢ φαντασίᾳ hominem apparuisse: Quos refutans Ignatius grauissimè dixit, si opinione tantùm, aut imaginatione Christus homo factus est, inane spectrum est totum opus redemtionis humanæ. Postea & imbecillitas ac mortalitas naturæ humanæ, quam totam, excepto peccato, Christus in se trāstulit, appellatione carnis ἐμφατικῶς significatur, Et sic loquuntur Prophetæ, Esa. 40. Omnis caro fœnum. Et Psal. 8 nominatur Christus non modò Filius Adam, id est, verus homo, sed etiam Enosch propter miserias & mortalitatem, quam simul inenarrabili humilitate in se volēs recepit, vnde & Psalmo 22. non se hominem, sed vermem esse Christus inquit: Et Esa. cap. 53 nominatur nouissimus virorum, plenus dolōribus.

ARGVMENTVM III.

¶ Rom. 8. dicitur: Deus Filium suum misit in similitudine carnis peccati.

Ergo Christus tantum similitudinem, non veram substantiam naturæ humanæ assumsit, id est, vt Manichæi dixerunt, fuit homo κατ' δόκησιν καὶ φαντασίαν.

RESPONDEO.

SENTENTIA Pauli hæc est: Misit Deus Filium suum in similitudine carnis peccati, id est, misit Filium, qui assumsit naturam hominis veram, & quidem passibilem, sed sine peccato, Ideo autem vsus est his In enarr. Epist. ad Roman. Tom. 4. op. 139. &

Tom. 3. op. 998.

verbis: Misit Filium in similitudine carnis peccati, quia re ipsa sine peccato fuit, & tamẽ doloribus & morti subiectus est, similiter vt nos miseri homines pleni peccato.

EMphasis est in appellatione carnis peccati. Intelligit enim Christum ita missum esse, vt subijceretur pœnis peccati, doloribus, pauoribus & morti. Non igitur negat Christum assumsisse naturam humanam, veram & integram: Sed significat naturam ab ipso assumtam, cùm sine peccato esset, tamen fuisse passibilem, ac similem nostræ naturæ, etiam quod ad pœnas peccati attinet. Etsi enim caro Christi verè fuit expers omnis peccati, tamen cùm omnes infirmitates & mortem ipsam verè gustauerit: hac ipsa de caussa affirmat Apostolus Filium Dei missum esse in similitudine carnis peccati, id est, apparuisse in eo speciem quandam naturæ peccatricis, quatenus pœnam nostris peccatis debitam sustinuit. Fuit igitur in Christo non simulacrum quoddam carnis seu φάντασμα, sed caro vera, & quidem talis, quæ propter infirmitates & mortem visa fuit peccatis obnoxia, cùm tamen sine peccato verè esset. Alibi sine hac determinatione carnis peccati, simpliciter Christus dicitur factus esse in similitudine hominum, vt Philip. 2. Hebr. 2. & 4. Iis etiam locis abusos olim hæreticos fuisse constat. Sed contextus singulorum istorum locorum conuincit, similitudinem ibi accipiendam esse de summa & substantiæ & qualitatũ cognatione & quasi ταυτότητι. Sic enim sæpe vocabulo ὁμοιώματος plena atque expressa similitudo significari solet, vt cum dicitur Adam Genes. 5. genuisse ad imaginem & similitudinem suam. Et hac voce Apostoli vsi sunt de Christo, vt significarent ita hominem factum esse, vt siue quis formam siue materiam spectet, hominem verum reperiat.

ARGV-

ARGVMENTVM IIII.

¶ 2. Cor. 5. dicitur Christum factum esse pro nobis peccatum.

Non igitur expers fuit Christus omnis peccati.

In Diale. Philip. lib. 1. de prædic. Relat. Item in enarrat. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 330. Et in enar. posterioris ad Cor. Tom. 4. op. 308. & alibi pass.

RESPONSIO.

Hæc sententia Pauli dignissima est consideratione, quia splendidissimis figuris concionatur de Redemptore. Verba dicti hæc sunt: Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos fieremus iustitia Dei in eo. Bis positum est nomen peccati. Initio cùm ait: Eum qui non nouit peccatum: Hoc loco peccatum significat fundamentum & relationem, id est, prauam concupiscentiam & quascunque actiones pugnantes cum lege Dei, propter quas & polluti damnantur, & à Deo abijciuntur. Ac fundamentum, scilicet concupiscentia & praui habitus voluntatis, sunt in prædicamento Qualitatis. Horum malorum prorsus nihil fuit in Filio Dei, non praua inclinatio, non habitus vitiosi, non vllæ vitiosæ actiones: sed fulsit in eo agnitio firmissima æterni Patris, arsit in eo summus amor æterni Patris, & cæteræ pulcerrimæ virtutes.

Cùm igitur postea dicit: Hunc fecit peccatum, hîc necesse est aliter intelligi vocem peccati, quàm antea. Vulgò autem sic dicunt: Peccatum hîc significat victimam pro peccato, idque verè ita dicitur. Sed cur victima vocatur peccatum? Mactationes veteres haud dubiè imagines fuerunt vnius venturæ victimæ

scilicet Filij Dei. Et hæ ipsæ vocabantur peccata, non quòd reatum & pœnam sustinebant, sed vt imagines significantes venturam victimam, quæ verè pro nobis pœnas subitura erat.

Ita cùm dicitur, Filius Dei factus est peccatum, Terminus significatur, non Fundamentum, id est, quiddam reum & abiectum in tristissimas pœnas. Iacet Filius Dei prostratus coram Patre, sentiens iram eius aduersus nostra peccata effusam in ipsum, perinde ac si polluisset se ipse meis, tuis & omnium tetris sceleribus. Hunc tantum dolorem & hanc mirandam ταπεινοφροσύνην, qua sese Filius Dei infra nos abiecit, & ferè serui formam induit, denique hunc erga nos amorem, etsi exponere oratione nemo satis potest: cogitare tamen vtcunque nos oportet, & aliquo modo commemorare, vt beneficia & laudes Filij Dei celebremus, vt simus pars illius agminis, de quo scriptum est: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Et in hac cogitatione nos ipsos de nostra infirmitate, de nostris miserijs commonefaciamus, & superbiam abijciamus, & frenemus immoderatas cupiditates.

Postremò inquit: vt nos fiamus iustitia Dei in eo. Satis apparet, hîc non intelligi iustitiam Dei, quæ in ipso est, vt cùm dicitur: Iustitia Dei puniuit. Sed μετάληψις est, vt fiamus iustitia, id est, iusti, accepti Deo, & quidem non dignitate nostra, sed iustitia Dei, id est à Deo imputata propter Filium, & inchoata in nobis noua & æterna iustitia.

Hoc modo rectè intellectis vocabulis, doctrinam grauissimam & consolationem dulcissimam ex hoc dicto sumere possumus. Tristissima appellatio est peccati, quod significat quiddam reum coram Deo, & sustinens horrendam

rendam iram Dei, sicut & Ethnici nominabant piacula, anathemata, καθάρματα tales hostias, quæ si non tolerentur, ira Dei aduersus totas gentes irritaretur. Contrà verò latissima omnium appellationum est iustitia Dei, id est, quiddam placens Deo, & conforme cum eo. Iam quod est tristissimum, & sensus inferorum transfertur in Christum, sed ita vt pro nobis sustineat. Contrà verò hoc, quod est lætissimum & glorioſum, transfertur in nos, scilicet, vt fiamus iustitia Dei, videlicet in hac vita, imputatione & inchoatione. Post resurrectionem erit integra nouitas & conformitas cum Deo.

Hanc consolationem dulcissimam in tanta infirmitate huius vitæ sæpe cogitemus, vt beneficia Filij Dei intelligantur, & confirmentur fides & inuocatio. Nos sumus reuera polluti peccatis, & propterea rei coram Deo, & digni omnibus ærumnis & calamitatibus, quia Deus verè & horribiliter irascitur peccatis. Tales cùm simus, tamen Deus effundit iram in Filium, qui pro nobis fit supplex et victima. Deinde recepti dicimur iustitia Dei, id est, placentes Deo, quasi essemus sine labe. Sed additum est, iustitia Dei in eo, seu per eum, id est, placemus propter Mediatorem, & simul fit inchoatio nouæ puritatis in nobis. Sed tamen interea quanquam hæc puritas nequaquam integra est, hac ingenti gloria ornamur, vt nominemur iusti, & quidem iustitia Dei, hoc est, à Deo imputata propter Filium, & in nobis inchoata.

Etsi igitur infirmi & multis sordib. contaminati sumus, & pœnas in ipsis corporibus nostris circumferimus, vt Dauid exulans: tamen nos hac dulcissima consolatione sustentemus: Cùm audimus, nos ornari hac gloria, vt dicamur iustitia Dei, statuamus nos verè placere Deo, verè receptos esse, verè diligi, verè ei curæ esse. Sed huius

sententiæ amplitudinem nec angelorum nec hominum eloquentia satis exponere potest. De summa vtcunque commonefacere volui, vt hoc dictum considerare & amare discant iuniores, deinde vt cùm videbunt vocabula fieri illustriora, rectè ad Dialecticam accommodata, magis ament hæc puerilia studia artium.

RESponsio sumitur ex declaratione phraseos. Christus factus est peccatum, id est, hostia pro peccato. Nam vox peccati in his locis significat Hebraico more hostiam pro peccato, id est, satisfactionem pro peccato, sicut Latini piaculum dixerunt, Græci κάθαρμα. Estque similis significatio, vt in vocabulis maledictum & anathema, quæ significat res destinatas ad pœnam, ad placandam iram Dei. Ita Esaias de Christo inquit: Quia ponet animam suam peccatum, id est, hostiam pro peccato. Et ad Galatas Paulus similiter ait, factum esse Christum maledictum, id est, piaculum sustinens maledictionem & iram Dei aduersus peccatum. Est autem in dicto ad Corinthios in primis obseruanda collatio duarum appellationum peccati & iustitiæ Dei. Nihil tristius nominari potest, quàm peccatum. Rursus nihil glorioſius & melius est, quàm iustitia Dei. Et tamen talis fit permutatio: Filius Dei est sine peccato, id est, non habet nec vult vllum malum pugnans cum voluntate Dei, sed & essentia iustus est, & habet deinde obedientiam perfectam, qua se subijcit æterno Patri assumta natura humana. Fit autem pro nobis peccatum, id est, quiddam reum coram Deo, & ira Dei in ipsum effunditur. Contrà verò tibi & omnibus credẽtibus tribuit id, quod in cœlo summum est & optimum, videlicet iustitiam Dei. Ita nos, qui re ipsa sumus immũdi, & rei peccati, regimur per Filium, pronunciamur non rei, sed iusti, Deo iustificante, id est acceptante nos: & simul renouante & viuificante. Nihil maius dici aut cogitari potest.

ARGV.

ARGVMENTVM V.

¶ Omnes affectus in natura humana sunt vitiosi.

Ergo in Christo aut non fuerunt omnes affectus humani, aut Christus non fuit expers peccati.

RESPONSIO.

Vt in Christo natura verè humana fuit, sic fuerunt in eo naturales appetitiones, affectus & metus. Lætatus est, doluit, misertus est, dilexit pios, excanduit ira, odit diabolum, sed hi motus & ςοργαὶ fuerunt ordinatæ. Est & in cæteris hominibus discernenda natura condita à concupiscentia, id est, à deprauatione, & ἀταξία, quæ accessit. Hæc est expedita responsio ad hanc quæstionem, qui affectus in Christo fuerint, de qua multæ perplexæ sunt disputationes apud sententiarios. In enarra. ca. 4. Ioh. Tom. 3. oper. 655.

IN antecedente duplex est fallacia: Primùm à dicto secundum quid. Etsi aliqui affectus in hac corrupta natura per se vitiosi sunt, pugnantes cum lege Dei: tamen multi sunt in hominibus affectus suo genere boni, & in natura conditi, qui congruunt ad legem Dei. Deinde fallacia est accidentis. Nam boni affectus fiunt per accidens vitiosi, quia in hac imbecillitate non reguntur ordine. In Christo verò omnes affectus fuerunt ordinati, iusti & congruentes legi Dei.

ARGVMENTVM VI.

¶ Vbi non est peccatum, ibi non est pœna peccati.

Aut igitur peccatum fuit in Christo, aut non potuerunt in eo esse dolores, passio, mors, quæ sunt pœnæ peccati in natura hominum.

RESPONSIO.

In enarr. Sym. Nic. Tom. 1. oper. pag. vlt.

Tenenda est necessaria Regula: Filium Dei imaginem æterni Patris assumsisse humanam naturam integram, incorruptam, habentem omnes vires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas: Item non vitiosam, sed tamen passibilem & mortalem, sine peccato. Eásque infirmitates assumsit volens propter nos, vt fieret victima. Sic ad Hebræos quarto cap. dicitur: Non habemus summum Sacerdotem, qui non possit compati nostris infirmitatibus, sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato.

FAllacia est à non causa vt causa. Infirmitates humanæ naturæ in Christo non sunt pœnæ peccati proprij, sed pars obedientiæ & humiliationis, quam Christus volens pro nobis subijt. Sic & apud magistrum sententiarum lib. 3. distinct. 5. dicitur: Omnes defectus nostros suscepit Christus præter peccatum, quos ei conueniebat suscipere, & nobis expediebat. Hos autem defectus non conditionis suæ necessitate, sed miserationis voluntate suscepit. Veros quidem habuit defectus, sicut & nos, sed non ex eadem causa. Nos enim ex peccato originali hos defectus contrahimus, sicut Apostolus insinuat, dicens: Corpus quidem propter peccatum mortuum est, id est, necessitatem moriendi habet in se. Christus autem non ex peccato huiusmodi habuit defectus, quia sine peccato est conceptus, & natus, & in terris conuersatus. Sed ex sola miserationis voluntate de nostro in se transtulit veram infirmitatē, sicut accepit veram carnem, quam sine

sine omni infirmitate assumere potuit, sicut absque culpa eandem suscepit.

ARGVMENTVM VII.

¶ Caro Christi post glorificationem euecta est supra omnes creaturas.

Non igitur humana natura Christi, præsertim iam glorificata, rectè nominatur creatura,

RESPONSIO.

In scripto propositio à Theologis in conuentu Schmalkald. To. 2. oper. 202. & 203.

Circumfertur libellus Schuenckfeldij, qui negat humanitatem Christi post glorificationem esse creaturam, ac vituperat omnes, qui dissentiunt, eosq; vocat Creaturistas. Nos in Ecclesiis nostris fideliter retinemus Symbola, Apostolicum, Nicenum & Athanasij, & damnamus omnes errores pugnantes cum his symbolis, damnatos à Catholica Ecclesia Christi, & agnoscimus, hæc Symbola verè tradita esse in verbo Dei conscripto per Prophetas & Apostolos. Scimus autem, hanc propositionem, Christus est creatura, reiectam esse à Catholicis, propterea quia Ariani eam intelligebant de vtraque natura in Christo, qui negabant, Filium Dei λόγον esse ὁμοούσιον Patri, sed contendebant, creatam esse ex nihilo. Sed hoc tempore non disputat Schuenckfeldius de forma loquendi, sed contendit, naturam humanam in Christo non esse creaturā post glorificationē, cùm quidem fateatur, ante glorificationē fuisse creaturam. Hoc delirium improbamus, & dicimus, humanam naturam in Christo & esse & manere creaturam. Vt Iohan. inquit: Et Verbum caro factū est: Ita & nos dicimus cum tota Ecclesia

Catholica. Filium Dei λόγον coæternum Patri, assumsisse humanam naturam ex Maria virgine, tempore cõstituto diuinitus, duasq; naturas vnitas esse, sic vt vna persona sit Iesus Christus Filius Dei, natus ex Maria virgine. Manet tamen sua proprietas naturis, diuina est coæterna Patri: Humana est creatura, orta ex semine Abrahæ, sicut promissio dicit: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Si humana natura in Christo mutata esset in Deitatem, vt fingit Schuenckfeldius, iam non benediceremur in semine Abrahæ.

Refutatur autem Schuenckfeldius multis illustribus testimonijs. Symbolum dicit: Natus ex Maria virgine. & deinde: Sedet ad dextram Dei Patris: Ille idem natus ex virgine, sedet ad dextram Dei. Et apud Lucam: Ecce manus & pedes meos, quia ego sum, contrectate me, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet. Et Romanor. 1. De Filio suo nato ex semine Dauid secundum carnem.

Etsi autem & nos inuocamus & prædicamus Christum Deum & hominem, sedentem ad dextram Patris, & agnoscimus humanam naturam ineffabili gloria ornatam, & immortalem esse: tamen esse naturam humanam genitam ex Maria virgine, ex semine Abrahæ affirmamus, ideóq; creatam fatemur & prædicamus, eoq; consolationem habemus in Christo, quia fratrem esse scimus, & os ex ossibus eius, & Pontificem ex hominibus assumtum, qui vt perpetuò pro nobis interpellat, ita perpetuò est Pontifex Deus & homo.

Repudiamus igitur delirium Schuenckfeldij, qui si fatetur, Christum esse Deum & hominem, cur negat humanam naturam esse creaturam? Si vocat creaturam tantùm naturam mortalem, cur non modo loquitur, & con-

conturbat Ecclesias? Nos creaturam vocamus vsitato more res à Deo conditas ex nihilo, & ab his ortas.

IN argumento Schuenckfeldij plus est inconsequẽte, quàm fuit in antecedente rectè intellecto. Antecedens hoc tantùm dicit, Christum antecellere omnes alias creaturas etiam secundum naturam humanam post glorificationem, numero & gradibus donorum, sic tamen vt creatura maneat, & neque substantia in essentiam diuinam mutetur, neque idiomata diuina in se recipiat, quæ essentiam infinitam & æternam ab essentia finita & creata discernunt. Necesse est enim discrimen retinere inter creatorem & creaturam: Item inter idiomata diuina συσατικὰ τῆς φύσεως, vt Damascenus loquitur, quæ sunt simpliciter ἀκοινώνητα creaturis: & dona creata, quæ sunt excellentiora in natura humana Christi glorificata, quã in vllis angelis & hominibus. Porrò ex multis Stenckfeldij libris, quibus audacissimè gloriatur, se de gloria Christi contendere, cùm Eutychiano more naturam humanam in Christo re ipsa aboleat, vnum saltem locum asscribam ex quodam ipsius libello, cui titulum fecit: De duplici statu & cognitione Christi, videlicet secundum carnem & secundum spiritum, vt & quæ sententia Stenckfeldij de carne Christi fuerit, & quomodo errores ipsius in theatrum patroni realis seu Physicæ communicationis idiomatũ reducant, intelligi a discentibus possit. Nam in hoc, quem dixi, libello (cui & in prima fronte dictũ Pauli malè detortum: Etsi cognouimus secundũ carnẽ Christum, nunc tamẽ non amplius nouimus, prefigere non est veritus (eiusmodi inter hos status collationem instituit, vt secundum alterum tandem statum post resurrectionem ascensionem in cœlum, & sessionem ad dextram Dei pronunciet, quòd caro in Deum ascenderit: Quòd forma serui, in Dei forma exaltata, æquali honore, potestate, nomine, gloria & maiestate sit cum Deo, quod homo per glorificationem sit totum

hoc, quod Deus est quòd corpus spirituale & inuisibile, nouæ & diuinæ vitæ proprietatis & essentiæ factum sit: quòd Christus corpore suo, carne & sanguine, non amplius visibiliter circumscriptus sit: quòd per mortẽ omnia accidentia huius humanæ proprietatis, quæ in humanam naturam cadere solent, quale & quantum, dimensionem & proprietatem corporis sui omnino deposuerit, perfectè in Deo consumatus in æternum, ita vt nullius corporalis loci hîc vel illic indigeat: quòd nulla iam sit amplius distantia seu inæqualitas naturarum in Christo: quod clarificatus ac totus spiritualis factus, cum sanguine & carne sua in cordibus fidelium habitet: deniq; quòd homo ille in Christo hoc totum sit, possit, habeat, nouerit, quod Deus est, potest, habet, ac nouit, adeóque quòd etiam iuxta corpus, perfectus Deus sit. Hæc prodigiosa verborum portenta sic recitaui, vt in eo, cuius mentionem feci, libello perscripta sunt, quæ non solùm imitantur nunc multi ex patronis communicationis idiomatum physicæ: sed etiam de statu humiliationis, de quo vidit Stenckfeldius se Eutychiana deliramenta tueri non posse, alia multò magis prodigiosa comminiscuntur. Quæ cùm veritatem naturæ humanæ in Christo prorsus tollant atque euertant, & infinitam essentiæ diuinæ & creatæ confusionem faciant: gloriari tamen audent se maiestatem Filij hominis, eiusdémque gloriam cælestem solos tueri ac defendere. De quo qualia argumenta in medium afferant, Eutychianis & Stenckfeldianis prorsus similia, copiosius alibi exponitur.

ARGVMENTVM IIX.

¶ Non est naturæ humanæ in Christo quicquam derogandum de summa maiestate & gloria.

Non igitur prærogatiuæ tantum hyperphysicæ

sicæ, superantes dona aliarum creaturarum, sed etiam ipsa idiomata diuina tribuenda sunt humanę naturæ Christi præsertim glorificatæ.

RESPONSIO.

Natura humana non est amissa glorificatione. In prop. Ph. To. 4. op. 584.

Quanquam igitur accessit excellens & ineffabilis gloria, immortalitas, conspectus essentiæ diuinæ, & lætitia superans omnium beatorum dona, impassibilitas, regnum & Sacerdotium, quia hæc persona quæ est Deus et homo colligit Ecclesiam, defendit & seruat, & pro ea semper intercedit, depellit diabolos & iudicat Mundum: Non tamen facienda est confusio naturarum, neque abiectio alterius naturæ.

ETiam in hoc argumento plus est in consequente quàm fuit in antecedente. Tribuenda est Christo etiam secundum humanam naturam summa gloria & maiestas, videlicet secundum Scripturæ sacræ canonem. Nam de articulis fidei ita iudicandum & statuendum est, sicut verbum Dei docet, non aliter. Est autem hæc vera gloria, quam Scriptura Christo tribuit secundum carnem, quòd hæc ipsius humana natura assumta est in vnionem personæ τῦ λόγυ & quòd ad hunc finẽ assumta est à λόγῳ, vt in ea destruantur opera diaboli, peccatum & mors, & restituantur credentibus iustitia & vita æterna. Et quòd exaltata iam est in regno & sacerdotio. Deniq; quod secundum sese, etiam dona seu ornamenta seu prærogatiuas accepit, quæ omnium aliarum creaturarũ dona superant. Sed nec vnio personalis distinctionẽ naturarũ tollit, nec glorificatio naturã humanam abolet. Non igitur idiomata naturę diuinæ in vnione transfusa sunt in naturã humanam, etsi

κατὰ εἰκονομίαν ἑνώσεως omnia idiomata Deitatis, sicut & Deitas ipsa rectè tribuuntur Filio hominis, nec dona seu παραφυσικὰ seu ὑπερφυσικὰ, quibus in sese humana natura omnibus alijs creaturis antecellit, confundenda sunt cum idiomatis seu proprietatibus naturæ diuinæ quæ ab ipsa deitate separari non possunt. Quia necesse est manere perpetuum discrimen inter essentiam infinitam & creatricem, & essentiam finitam & creatã. Hoc discrimen cùm reipsa tollant Schvenckfeldiani, & horum similes: frustra gloriantur se pugnare de gloria Christi, quem tetris contumelijs afficiunt, cùm & veram Personæ & beneficiorum Christi agnitionem labefactant, & consolationem omnem nobis eripiant, quam habemus ex carne Christi Mediatoris, Dei & hominis.

ARGVMENTVM IX.

In enarr. epist. ad Col. To. 4 op. 346. In enarr. Sym. Nic. Tom. 2. op. 217. In locis Th. de fil. & alibi passim.

¶ Omnis plenitudo Deitatis significat omnipotentiam, omnisapientiam, omnifelicitatem, omnipræsentiam, denique omnes proprietates, & totam energiam diuinam.

Humanæ naturæ Christi communicata est omnis plenitudo Deitatis, iuxta dictum: In Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.

Ergo humana natura Christi accepit in sese vniuersam maiestatem & gloriam diuinam.

RESPONSIO.

Discernit Paulus hoc dicto vnionem personalem ab alijs modis præsentiæ Dei, vult agnosci discrimen inter

ter personam Christi & alios beatos & sanctos. In his enim habitat Deus separabiliter, & effectiuè, accendens nouam lucem & nouos motus, sed in Christo habitat inseparabiliter, & sic, vt vnione hypostatica vnita sint naturæ, persona secunda diuinitatis λόγου, & humana natura, assumta. Nam vt nos nunc dicimus ὑφιστάμενον seu Personam: ita veteres dixerunt σῶμα, quod non est imaginarium aut accidentale. Quod autem inquit: Plenitudo diuinitatis, discernit & hoc modo Filium ab alijs beatis & sanctis. In alijs sunt particularia dona, vt in Mose, Helia. Sed in Filio est substantia, quæ est secunda Persona diuinitatis immensæ perfectionis, omnipotens & efficax in alijs, vt Ioannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus.

IDeo diligenter natiua huius dicti sententia considerandа est, quia Schuenckfeldius & alij, falsis interpretationibus tetrè corrumpunt hoc dictum, & ad stabiliendam realem seu Physicam Communicationem idiomatum intempestiue detorquent. Summa autem sententiæ Paulinæ hæc est: Discernit Paulus personam Christi ab alijs sanctis, & duo insignia discrimina mõstrat: Primùm, etsi habitat Deus in sanctis, & est efficax in eis, docens ac mouens eos: tamen dona sunt particularia: vt in Mose, Helia in hac vita: Item in beatis Angelis & hominibus, non est omnipotentia, non infinita sapientia, & iustitia. Deinde Diuinitas habitans in sanctis, reipsa est separabilis, nec constituit cum eis vnum ὑφιστάμενον. Ideoque sancti non sunt Deus ipse, etsi in ipsis accensa sunt dona diuina, & Deus per gratiam inhabitationis in eis adest.

1. At in Christo habitat omnis plenitudo deitatis, hoc est, in Christo non tantùm est humana natura visibilis: Sed præter hanc est in ipso substantia seu Natura alia, videlicet λόγου, quæ est secunda perso

na diuinitatis, quæq; essentialiter Deus est, & quæ de sua plenitudine non tantùm naturæ humanæ assumtæ dona confert, sed etiam verè efficax est in alijs. Deinde hæc natura diuina τῦ λόγυ, in qua sunt omnes proprietates essentiæ diuinæ, in humana natura assumta corporaliter inhabitat, id est, ita vt sint vna Persona λόγ☉ & natura assumta, & vt sint hæ duæ naturæ inseparabiliter iunctæ in tota æternitate.

Hæc enarratio haud dubiè vera est, & cum Pauli verbis rectissimè congruit, qui hunc sibi scopum eo in loco propositum habet, vt ostendat qualis sit Christus, nimirum. Ita verus homo, vt simul sit verus Deus, & tamen vt in his duabus naturis, vnus sit Christus, qui omnia in omnibus perficiat, & ex cuius plenitudine omnia nos haurire necesse sit, quæ ad salutem nostram pertinent: sicut mox addit: In eo completi estis, qui est caput omnis principatus ac potestatis. Sic igitur ad argumentum respondeo.

Concedo maiorem propositionem: Omnis plenitudo deitatis significat omnipotentiam, omnipræsentiam, &c. Sed addo: Non tantùm proprietates omnes dicimus, sed etiam essentiam ipsam diuinam significari mentione plenitudinis deitatis, & hanc pertinere ad descriptionem τῦ λόγυ, qui eiusdem οὐσίας est cum Patre, & verè ac natura Deus est & omnipotens.

Deinde ad minorem respondeo: Variæ insidiæ sunt in accommodatione dicti Paulini ad naturam humanam Christi: Primùm, quia dictum Pauli, quod est descriptio Personæ Christi, non rectè detorquetur ad ipsam naturam humanam Christi in se consideratam. Non enim in abstracto loquitur Paulus, sed vtitur voce concreti: in ipso, inquit, videlicet in Christo, in quo necesse est duas naturas agnoscere & quidem distinctas, sed vnitas vnione hypostatica. Non igitur describit qualis sit natura humana Christi secundum

sese, sed docet quid de persona Christi nobis sentiendum sit, & quomodo ab alijs sanctis & beatis discerni debeat.

Deinde vocabulum communicari, quod in minori vsurpatur, ambiguum est. Paulus dicit: Habitat in eo πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητ☉, & quidem σωματικῶς, vt significet τὸν λόγον vnitum esse naturæ assumtæ personaliter & inseparabiliter. Idem veteres nonnunquam hac verborum forma significarunt, cùm dixerunt, Naturas & earum proprietates communicari in Persona Christi, id est, vniri. Nam vt natura diuina Filij Dei, vnita seu communicata esse dicitur humanæ naturæ assumtæ, per gratiam vnionis: Sic & proprietates omnes τῦ λόγυ vnitas seu communicatas esse dixerunt naturæ assumtæ in Persona Christi: vt sicut rectè dicitur, Filius Dei est homo: Itē, Homo Christus est Deus; ita verè dici possit: Filius Dei est mortuus. Item, Filius hominis est omnipotens, omnipræsens, omnisapiens, &c. At Schuenckfeldiani per communicationem intelligunt effusionem proprietatum naturæ diuinæ in carnem Christi, quæ est Eutychiana naturarum confusio. Non igitur sequitur conclusio: Humana natura in sese accepit omnem gloriam & maiestatem diuinā, cùm Symbolum Athanasij de solo Deo profiteatur: Vnus immensus: Vnus omnipotens: & in Esaia scriptum sit: Gloriam meam non dabo alteri.

ARGVMENTVM X.

¶ Iohannis 3. inquit Baptista de Christo Non ad mensuram ei dat Deus Spiritum.

Item, Omnia dedit in manum eius.

At diuinæ naturæ CHRISTI nihil potest dari.

Ergo humanæ naturæ Christi data est omnipotentia & cæteræ proprietates diuinæ.

RESPONSIO.

In enarra. Ioh. To. 3. oper. 652.

Concio Baptistæ discernit personam Christi à Prophetis, Apostolis, & omnibus doctoribus.

Testatur enim hunc Iesum esse Messiam à Deo missum, & audiendum esse. Ac nominatim de missione Messiæ loquitur. Quem misit Deus, verba Dei loquitur: Postea addit, Non ad mensuram dat Deus Spiritum, scilicet Filio, quem misit. Vt enim cap. 1. inquit: ex plenitudine eius omnes accepimus, ita nunc ait: Donatum esse Messiam plenitudine Spiritus sancti: perfecta sapientia, & iustitia, & quidem potentia sanctificante & viuificante cæteros sanctos. Cæteris sanctis, vt Mosi: Item singulis Prophetis, datur Spiritus sanctus ad mensuram: ad certam vocationem. Sed Christus longè supra omnes Prophetas est plenitudine Spiritus, & vocatione. Habitat in eo diuinitas corporaliter, vt Paulus inquit ad Coloss. Abundat igitur notitia Dei, & iustitia: Habet & iustificationem maiorẽ: Liberat à morte, à peccato, reddit perpetuam iustitiam & vitam: Et vt hoc efficiat, ita abundat Spiritu sancto, vt impertiat alijs Spiritum accendentem hanc lucem in eis, notitiam Dei, iustitiam & vitam perpetuam. Hæc magis declarat Baptista sequenti dicto: Pater diligit Filium, vbi loquitur de tali dilectione, quæ est ϛοργὴ inenarrabilis, qua complectitur hunc Filium, quia ex ipso natus est. Et quidem sic complectitur, vt propter ipsum diligat alios. Hanc vim amoris vt declaret, addit: Quia verè

Ibid. 653.

diligit

diligit Pater Filium: Ideo omnia tradidit in manus eius, id est, hunc constituit datorem sapientiæ, iustitiæ & vitæ æternæ. Huic tradidit potentiam destruendi opera diaboli peccatum & mortem. Tradidit & potentiam regendæ & seruandæ Ecclesiæ etiam in hac vita, & reprimendi grassantem Diabolum. Ideo illustribus operibus glorificat Ecclesiam etiam in hac vita, sicut mirabilibus operibus semper seruauit, vt in diluuio, & in Aegypto, in deserto, & postea tempore iudicum, & regum Iuda & Israel omnia plena sunt mirabilium operum. Et quanquam non eodem modo ha seruationes incurrunt in oculos, tamen semper vsque ad finem mundi fient mirabiles quædam liberationes, sicut in Osea dicit: Saluabo eos, sed non in arcu, neque in gladio. Hanc doctrinam in Ecclesia nos intueri necesse est, cùm terribilis mundi potentia in oculos incurrit, & videtur Ecclesiam obruitura esse, vt nunc Turcica potentia. Item aliorum regum sæuitia.

COllatio membrorum in concione Baptistæ Iohann. 3. perspicuè ostendit. Christum in his dictis, quæ citantur, describi vt personam missam. Quia expresse dicitur: qui superne venit: Item qui de cœlo venit: Item, Is quem misit Deus. Et postea: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Non igitur valet cauillatio: Diuinæ naturæ Christi nihil potest dari. Ergo dictum Baptistæ intelligendum est de natura humana in se considerata: loquitur enim Baptista de missione Filij ad hoc officium, vt sit Messias, & Sponsus Ecclesiæ, & dator vitæ æternæ. Hoc respectu, testatur Scriptura passim, Filium à Patre accipere: & mandatum de officio seu vocatione: & potentiam ad perficienda opera, quæ congruunt Messiæ. Vt igitur Psal. 45. alludens ad ritum inaugurationis regum &

sacerdotum, inquit: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præter consortes tuos: sic Baptista hic, de Messia Filio Dei, misso in carnem dicit: Non dat ei Deus Spiritum ad mensuram. Et vt Christus ipse inquit Ioh 17. Dedisti Filio tuo potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti, det eis vitam æternam. Sic Baptista hoc loco ait: Pater diligit Filium, & omnia ei in manus tradidit, id est, arbitrio ac potestati eius permisit, Hinc perspicuum est, in argumento proposito esse quatuor terminos: ac malè detorqueri ad naturam humanam Christi secundum se consideratam, hoc, quod de Filio Dei, in quantum est persona missa, dicitur.

Etsi enim vetustas quoque interdum ita loqui solet, vt dicat, hæc & similia dicta intelligenda esse κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ne Arianis cauillandi locus relinquatur, qui omnia dicta, quæ affirmant Christum aliquid accepisse in tempore, detorquebant ad naturam diuinam tantùm, & quidem secundum se consideratam, vt inde inferrent eam esse creaturam: Tamen certum est, veteres Scriptores, quotiescunque dicunt aliquid tribuendum esse Christo secundum humanam naturam, in talibus dictis, quæ officium Christi describunt, hoc ipsum dicere velle, quod nos de respectu Personæ missæ loquimur. Nam officium quo hîc Dominus fungitur, missus ad obedientiam in docendo & patiendo: Item ad collectionem Ecclesiæ ex genere humano, verissimè pendet à decreto diuino de assumtione humanæ naturæ, seu incarnatione Filij. Ideo Athanasius dictum Christi: Pater maior me est, de quo in Symbolo dicit: Minor est Patre secundum humanitatem: Sic tamen dial. 5. de Trinitate explicat, vt totam missionem Filij complectatur. Non dixit Christus, inquit, Deus maior me est: Sed Pater. Non igitur vt Deum Deo maiorem esse dico, sed vt Patrem Filio humana carne induto.

Ac tantum abest, vt exæquatio naturæ humanæ cum diuina, quam Schvvenckfeldiani fingunt, aut Realis

Realis seu Physica idiomatum communicatio, ex interpretatione à veteribus de hoc dicto Ioan. 3. tradita ostendi possit: vt potius ipsam Filij deitatem æternam hinc Cyrillus probet. Ergo, inquit, hac nota Filius Dei à Prophetis & sanctis omnibus discernitur. Impossibile est enim, vt qui mensum spiritum acceperunt, alijs etiam illum largiantur. Nunquam enim sanctus vir alteri sancto Spiritus largitor fuit: sed omnibus ex amplitudine sua Filius largitur. Quoniam igitur Filius Spiritus largitor est, nemo ambigit, quin substãtialiter in seipso Spiritum possideat. Et de altero dicto: Omnia dedit Pater Filio in manus, copiosa eiusdem Cyrilli enarratio, qua & diuinitatem Christi æternam hinc demonstrat, & quomodo ad Christum in præsenti vocatione accommodari hoc dictum debeat respectu Oeconomiæ, clarè & luculenter exponit.

ARGVMENTVM XI.

¶ Matthæi vltimo inquit Christus: Mihi data est omnis potestas in cœlo & in terra.

Ergo fatendum est, humanam naturam Christi in sese etiam accepisse & omnipotentiam & cætera idiomata seu proprietates diuinas.

RESPONSIO.

Dicti Christi hæc est sententia: Affirmat, quòd ipse sit Messias regnaturus iam ad dextram Patris, sicut Psalmus dicit: Sede à dextris meis. Hic Dominus est potentior quàm omnes creaturæ, destruit peccatum & mortem & inferos, & nobis restituit iustitiam & vitam æternam, & colligit & seruat in hac vita Eccle- In enarra. Matt. To. 3. op. 590. & 591.

siam, & reprimit potentiam & furorem Diaboli, & postea glorificat Ecclesiam æterna gloria: Cùm autẽ audimus narrari hanc potentiam eius, sciamus ideo narrari, vt promittatur nobis auxiliũ, & nos ab ipso petamus & expectemus, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes. Has consolationes cogitemus in inuocatione, & petamus ardenter, vt nunc quoque ostendat se regnare, & nos iuuet, & concedat pacem & seruet Ecclesiam.

ETiam in hoc argumento sunt quatuor termini. Antecedens hoc dicit, Christum esse Personam omnipotentem. Inde non rectè infertur, naturam humanam Christi secundum sese factam esse omnipotentem. Quod si ita esset, duæ in Christo naturæ ponerentur pariter immensæ & omnipotentes. Vtitur autẽ hoc dicto Christus, non tantùm post resurrectionem, sed etiam ante, vt Matth. 11. Luc. 10. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: Et nemo nouit Patrem nisi Filius, &c. Nec loquitur hîc de potentia pertinente ad actionem Dei generalem, quæ ad omnes creaturas se extendit, in præsentia vniuersali. Quanquam etiam si sic accipiatur dictum, rectè monet Cyrillus lib. 10. Thesauri, ordinem & distinctionem personarum non indigentiam filij, naturaliter vt ipsum esse, ita cætera omnia habentis à Patre, demonstrari. Sed quia de institutione, vi, & efficacia ministerij Euangelij sermonem instituit, propriè loquitur de potentia liberandi genus humanum, deleto peccato & morte, & de restitutione iustitiæ & vitæ æternæ. Item de potentia collectionis, sanctificationis, gubernationis, defensionis, & resuscitationis Ecclesiæ. Hanc potentiam, quæ pertinet ad officium regis & sacerdotis, affirmat Christus sibi datam esse, vt personæ inde vsque ab initio missæ ad Ecclesiam.

ARGV-

ARGVMENTVM. XII.

¶ Ascendere significat euehi ad sublimiorem dignitatem, sicut descendere significat humiliationem seu immutationem dignitatis pristinæ.

Ergo articulus Symboli, in quo fatemur Christum ascendisse ad cœlos, non rectè accommodatur ad mutationem loci seu translationem corporis Christi in locum cælestem.

RESPONSIO.

In Symbolo intelligatur dictum, vt sonat litera, & de corpore & de corporali locatione: Ascendit, scilicet corporali & Physica locatione, in cœlum, id est, in locum cœlestem, vbicunque est. Quia hîc non sunt fingenda allegoriæ. Ascensio fuit visibilis & corporalis, & semper ita scripsit tota antiquitas: Christum corporali locatione in aliquo loco esse, vbicunque vult. Et ascensio corporalis facta est sursum. Ideo Paulus locum illum nominat Sursum. Hæc enarratio expressa est in enarratione Symboli, quæ legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est, Enarratio Ruffini: Ascendit ad cœlos, non vbi Verbũ Deus antea non fuerat, quippe qui erat semper in cœlo, & manebat cum Patre, sed vbi verbum caro factũ antea non sedebat, id est, vbi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, & citantur verba in Longob. lib. 3. distinct. 22, Non dimisit Patrem Christus, cùm venit infirmior, vbiq; totus, vbiq; perfectus. Deinde additur forma sermonis vbiq; to-

In enarra. epist. ad Colos. Tom. 4. oper. 358.

tus est, sed non totum. Alij concinnius locuti sunt: Propositio vera est communicatione idiomatum, Christus est vbique. Athanasius sic loquitur de incarnatione Verbi: λόγος non colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, vt et in eo sit, & extra omnia, & in sinu Patris, neque cùm sit in omnibus, sit pars aliorum, sed omnia vitam sustentationemq; ab ipso accipiunt.

CVm articulus Symboli de Ascensione Christi ad cœlos sit professio historiæ seu rei gestæ, & in Euangelistarum narrationibus toties exprimatur sine inuolucris figurarum, proprio & perspicuo sermonis genere: Nequaquam Metaphorica illa seu figurata significatio vocabuli Ascendere, quod alibi mutationem conditionis & status significat, ad verba Symboli detorqueri debet. Disertè enim Lucas, quid per Ascensionem intelligi velit, exprimit, cùm inquit, διέστη ἀπ' αὐτῶν καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανὸν, discessit ab eis & ferebatur sursum in cœlum. Item, βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη. Item, ἀτενίζοντες ἦσαν πορευομένου αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν, &c. Hoc modo propriè, simpliciter, & absque vlla seu figura, seu allegoria intellexisse veteres scriptores verba articuli in Symbolo de ipsius naturæ humanæ in Christo μεταστάσει τοπικῇ, id est, migratione seu translatione locali, penè infinita illorum loca testantur. In quibus clarè atque expressè in grauissimis disputationibus aduersus perditissimos hæreticos affirmant, Christum suo in cœlos ascensu corporali discessione mundum reliquisse. corporali præsentia iam nobiscum non esse, præsentiã corporalem nobis abstulisse. Corporis præsentiam subduxisse: corpore, carne, secundũ corpus, secundũ carnem, secundũ præsentiam corporis, secundũ præsentiã carnis à nobis recessisse: per id, quòd homo est, à nobis abesse, secundum humanitatem à nobis abiisse: secundum humanam substantiam dereliquisse terram: abstu-

abstulisse ex hoc mundo naturam, quam susceperat ex nobis: per formam serui, quam à nobis abstulerit in cælum, absentem esse: & quia in cœlo sit, non esse amplius in terra: dereliquisse terram cùm ascendit in cœlũ: à nobis peregrinari, corpore à nobis separatum esse: in cœlo detineri vsque ad vltimum iudicij diem. Testimonia veterum scriptorum integra cùm pijs omnibus sint notissima, & alibi sæpe recitata, mihi nunc ad commemorandum non videntur necessaria.

ARGVMENTVM XIII.

¶ Dextra Dei est vbique,
Christus secundum naturam humanam
quoque collocatus est ad dextram Dei.
Ergo humana natura Christi est vbique.

RESPONDEO.

Vt de locali ascensione naturæ humanæ dictum est: Ascendit ad cœlos: ita de exaltatione humanæ naturæ supra omnes creaturas dictum est: Sedet ad dextram Patris, vt Paulus inquit Colos. 3. Vbi est ad dextram Dei sedens. Ait Christum sursum esse, & quidem ad dextram Dei, id est, non vt beati Angeli & homines sursum sunt, sed exaltatus supra Angelos, in illa arcana luce Dei, regnans cum Patre. Et tamen corpus localiter alicubi est, secundum veri corporis modum, vt Augustinus inquit. Et hæ propositiones, Christus in nobis est: Item, Ego in eis: Item, Veniemus ad eum, intelligantur communicatione idiomatum. Et de hac præsentia Filij in prædicatione Euangelij & in sanctis, necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, vt agnoscamus Dominum nostrum Iesum Christum adesse Ecclesiæ, & esse caput omnia in omnibus perficiens.

In enarra. epist. ad Colos. Tom. 4. oper. 358.

MAnifestum est in hoc argumento vitiosam esse consequentiam: Quia sunt quatuor termini. Aliud est esse ipsam dextram Dei, aliud collocari ad dextram Dei. Nec humana natura Christi est ipsa dextra Dei. Non igitur valet consequentia, vt si dicas: ὁ λόγος est æternus & infinitæ essentiæ. Natura humana Christi est vnita τῷ λόγῳ. Ergo natura humana est æternæ & infinitæ essentiæ.

Hîc perspicuum est, aliud esse λόγον ipsum, aliud esse vnitum τῷ λόγῳ. Deinde articulus Symboli de sessione Christi ad dextram patris vtrunque complectitur: Glorificationem naturæ humanæ in Christo: Et exaltationem totius personæ in regno & sacerdotio. Nam Christus ascendit ad cœlos (vt rectè loquitur Augustana Confessio, articulo tertio) vt sedeat ad dextram Patris, & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, missoin corda eorum Spiritu sancto, & sanctificatis det vitam æternam. Sed neque glorificatio ipsius naturæ humanæ in sese, neque exaltatio Personæ Christi essentiales naturarum proprietates confundit, aut abolet, iuxta notissimum Augustini dictum: Christus carni immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus homini, vt veritatem corporis auferamus. Item: Vbique crede Christum, per id, quod Deus est, & in loco aliquo cœli, per id quod homo est, secundum veri corporis modum.

ARGVMENTVM XIIII.

¶ Necesse est Christum inuocari vt Mediatorem.

Est autem Mediator non tantum secundum diuinam, sed etiam secundum humanam naturam.

Ergo

Ergo ipsa natura humana Christi in sese est adorabilis, vt loquitur Schuenckfeldius & qui eum sequuntur.

RESPONSIO.

Manifestum est inuocandum esse Messiam, in quantum Mediator est, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes qui laboratis, ego reficiam vos: vbi certè non de humana natura tantùm loquitur, sed vtranque naturam complectitur. Quia natura humana non recreat sine diuina. Item: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hîc vult nos accedere fiducia Mediatoris. Et vult ipse, inquantum Mediator agnosci, qui exaudit & profert preces nostras in arcanum consilium Patris. Exaudire autem & videre corda inuocantium, & discernere veram inuocationem ab hypocrisi, & ingredi in sanctum sanctorum, id est, in arcanum consilium Patris, & ibi pro nobis deprecari, hæc sunt naturæ omnipotentis. Et semper pro Ecclesia precatus est Filius, sicut in Psalm. 2. dicitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Agnoscamus igitur nobis constitutum esse Mediatorem, Redemtorem, Saluatorem, Regem & summum Sacerdotem Christum Deum & hominem, & Deo gratias agamus, quòd Filium vnigenitum miserit, & sit inuocatio directa non tantùm ad naturam humanam, sed ad personam, quæ est Deus & homo. Hæc cogitatio in inuocatione necessaria est. Quærit mens quid alloquaris in inuocatione, quis exaudiat, quis opem ferat, quo obiecto debeat niti fides. Cum dicis, Miserere mei Fili Dei, Domine Iesu Christe, non tantùm alloqueris huma-

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 223. Et in resp. ad contro uers. Stãc. Tom. 1. oper. 348.

nam naturam, sed hanc Personam Deum & hominem, & petis vt intercedat pro te, & ipse opem ferat, id est, vt per ipsum diuinitas tibi opem ferat, Sicut inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, merito & efficacia. Et fides nititur hac Persona, quæ est Emãuel: credis cerni gemit⁹ cordis tui, quia hæc Persona est Deus, credis te recipi à Deo propter meritum & deprecationẽ huius Personæ, credis hanc Personã efficacẽ esse. Ideo Synodus Ephesina rectè decreuit, vna latria adorandum esse Christum Deum & hominem.

Sic & Psalmi docent: Psalm. 2. Osculamini Filium. Et Psalm. 45. Et concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Deus tuus, & adorabis eum. Et Psalm. 72. Et adorabunt eum omnes reges terræ. Et Esaiæ 11. In die illa stabit radix Iesse, vt sit signum populis, gentes ad eum confugient, & requies eius erit gloria. Ieremiæ 23. nominatim fit mentio inuocationis: Suscitabo Dauidi germen iustum, &c. Et hoc est nomen, quo vocabunt eum, Iehoua iustitia nostra, id est, Hæc persona germen Dauidis & Deus sic inuocabitur, quòd sit Deus, & iustificet inuocantes, det remissionem peccatorum & viuificet.

FAllacia est diuisionis. Item, fallacia consequentis. Præmissæ loquuntur de persona Mediatoris, quæ est Deus & homo. Conclusio de natura humana in se considerata. Verum est autem, fidem in inuocatione niti Mediatore, id est, accedendum esse ad Deum fiducia Mediatoris: Deinde & hoc verum est, ipsum Mediatorem verum Deum & hominem inuocandum esse, vt Personam æternam & omnipotentem & datorem bonorum. Sed inde non sequitur: Ergo natura humana Christi est in sese omnipotens, aut Mediatrix, aut adoranda. Non enim caro Christi sola, nec per se in

in ipsa vnione considerata Mediatrix est, aut omnipotens, aut inuocanda, sicut nec Deus est, sed Filius Dei inde vsque ab initio constitutus est Mediator generis humani, & certo tempore humanam naturam assumsit, eamque vniuit sibi vnione personali & inseparabili, vt sit in duabus naturis, diuina & humana, vnum ὑφισάμενον. Ad hanc personam, quæ est omnipotens, quæq; nunc post incarnationem, & verus Deus est, & verus homo, dirigenda est inuocatio, neque interorandum animus distrahendus est, vt cogitatione humanam naturam à Christo, quem inuocamus, separantes, alio modo compellandam diuinam naturam, alio humanam existimemus: sed cum vna sit Dei verbi & assumtæ carnis Persona: vnus idemque Christus, Deus & homo inuocandus est: sicut rectè contra Nestorium, qui ἀνθρωποτόκος dictus fuit, Synodus Ephesina docuit, vna latria inuocandum esse Dominum nostrum Iesum Christum, Deum & hominem, qui assiduè pro Ecclesia intercedit, & eam colligit, protegit, seruat & saluabit. Et sic loquitur Athanasius. Qui Dominum in carne adoramus, non creaturam, sed creatorem corpore indutum adoramus, nec rei creatæ citra Deum, qui creauit omnia, cultu inseruimus, &c. Est & dictum Cyrilli memorabile lib. 8. Thesauri cap. 1. Adorabilis semper est vt Deus, & nunc adorari incipit factus homo. Et in libro de recta fide ad Theodos. Num igitur tanquam hominem adorabimus Emanuelem? Absit. Deliramentum enim hoc esset, & deceptio ac error. In hoc enim nihil differemus ab his, qui creaturam colunt vltra conditorem & factorem, &c. Denique Ecclesia orthodoxa omnium temporum ex inuocatione Christi demonstrauit, verè & natura ipsum Deum esse. Quia cùm scriptum sit, IEHOVA seu Dominum Deum tuum adorabis, & tota scriptura præcipiat Christum inuocari: rectè docuerunt in Christo naturam diuinam atque æternam esse. Hoc argumentum furiosè euertere conantur qui carnem Christi in sese adorabilem es-

se vociferantur. Qua in re quantum sit periculi, Antitrinitariorum scripta ostendunt, in quibus negant opus esse de natura diuina Christi contendere, cum & Idiomata diuina & cultus inuocationis etiam creatæ naturæ competant. Idque vt probent integras paginas ex Schuenckfeldistarum & τῶν πανταχουσιασῶν libris transcribunt.

ARGVMENTVM XV.

¶ Caput Ecclesiæ necesse est esse omnipotens.

Christus est caput Ecclesiæ etiam secundum humanam naturam.

Ergo ipsa quoque humana natura in Christo est omnipotens.

RESPONSIO.

In enarr. Epist. ad Colos. Tom. 4. ope. 338. & 339.

In enarr. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 318. 319.

Expressè fatentur Scriptores lib. 3. sententiarum distinctione 13. Nomen capitis tribui toti Personæ Christi. Rectè verò addunt: alias proprietates competere ei secundum humanam naturam, alias secundum diuinam naturam. Cogitentur autem causæ, cur Paulus nominet Christum caput, videlicet propter efficaciam, perfectionem, meritum, & ordinem. Primùm, Caput est efficacia, quia hæc Persona propriè missa est, vt immediatè per eam æternus Pater colligat Ecclesiam. Hæc Persona initio profert Euangelium, adest Ecclesiæ, & eam sustentat ac protegit immediatè. Similitudo cogitari potest. Sicut Caput in quolibet homine demittit neruos & Spiritum animalem in reliquum corpus, qui sunt causa sensus & motus: Ita Filius Dei sustentat & docet

docet nos, sicut dicitur ad Ephesios, Perficere omnia in omnibus. Item: Nemo nouit Patrem, nisi Filius. Item: ego vitam æternam do eis. Etsi autem hæc efficacia est capitis secundum diuinam naturam: tamen Persona tribuitur communicatione idiomatum, quia efficax est in hac assumta natura, vt 1. Cor. 15. dicitur: Per hominem mors, & per hominem resuscitatio mortuorum. Multæ etiam actiones fiunt ministerio naturæ assumtæ, vt cum iudicabit resuscitatos visibiliter. Est & sua efficacia assumtæ naturæ, quæ antecellit omnibus creaturis, depellit diabolos, & protegit Ecclesiam, & multa potenter agit, quæ capiti congruunt.

Secundò, Caput perfectione, sic dicitur non solùm secundum diuinam naturam, sed etiam iuxta humanam. Quia natura humana in Christo antecellit sapientia, & iustitia omnibus angelis & hominibus.

Tertiò est caput merito, etiam iuxta humanam naturam. Quia cùm perfectissima obedientia meruerit Ecclesiæ redemtionem & salutem æternam, iustum est, eum esse superiorem vniuersa Ecclesia.

Quartò est Caput ordine, propter missionem. Sicut Iohannes inquit, Prior est me. Quia hæc persona initiò missa est ad Ecclesiam, vt proferat Euangelium ex sinu æterni Patris. Vsitatè dicitur, Christum nominari caput, quia dignitate antecellit. Sed intelligatur non otiosa dignitas. Verùm hæc omnia comprehendantur Efficacia: Perfectio naturæ diuinæ & naturæ humanæ: Meritum & Ordo.

RVrsus etiam in hoc argumento fallacia est consequentis. Sunt enim quatuor termini & plus est in conclusione quàm fuit in præmissis. Vt si dicas,

Saluatorem generis humani oportet esse Deum. Christus est Saluator generis humani, etiam secundum humanam naturam. Ergo humana natura Christi est Deus. Hic perspicuum est præmissas loqui de Persona, in qua sunt duæ naturæ, diuina & humana, vnitæ Personali vnione, inseparabiliter. Conclusio verò loquitur de natura humana Christi. Etsi autem rectè dicitur: Christus homo est caput Ecclesiæ, & Saluator: Item, Deus: item, omnipotens, quia hîc in concreto Persona significatur: tamen nequaquam in abstracto dici potest: Natura humana Christi sola est saluatrix aut caput Ecclesiæ. Item, caro seu humanitas Christi est Deus. Item est omnipotens. Ideo apud Magistrum sententiarum lib. 3. distin. 14. & hæc sententia de natura humana Christi legitur: Non est ei datum, posse omnia facere, quæ Deus facit, ne omnipotens, & per hoc Deus putaretur.

DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.

ARGVMENTVM I.

¶ Concretum & abstractum sunt nomina accidentium, vt albedo, iustitia, fortitudo nominantur abstracta. Albus, iustus, fortis, dicuntur concreta.

Non igitur congruunt hæ appellationes ad doctrinam de Filio Dei, vbi discernendæ sunt naturæ, & Persona Christi, quæ non sunt accidentia.

RESPONSIO.

Vt intelligi possit doctrina de communicatione idiomatum,

matum, significationes vocabulorum considerandæ sunt, quibus aliter hîc Ecclesia vtitur, quàm in Philosophia loqui solemus. Vocabula igitur in hac doctrina sunt præcipua, Idioma, abstractum, concretum. Idioma est proprietas vni naturæ conueniens, vt si de homine loquamur: Mentis idioma est, id est, propria actio, intelligere numeros, vel Deum vel vniuersalia. Corporis proprietas est lacerari. Et tamen hæc communicantur Personæ, vt, Homo intelligit. Sic in Christo proprietas diuinæ naturæ est, esse omnipotentem: rursus proprietas humanæ naturæ est, crucifigi, mori. Et tamẽ hæc tribuuntur Personæ. Et receptæ sunt propositiones, Deus est homo, Deus est passus, crucifixus, mortuus. Christus est omnipotens, creator, &c. Sed magna circumspectione opus est in his propositionibus. Non enim in abstracto, sed in concreto tantum hæ propositiones receptæ sunt: Quia abstracta significant naturam seorsim consideratam, vt diuinitas vel diuina natura: Humanitas vel humana natura. Nequaquam igitur receptæ sunt hæ propositiones, Natura diuina est humana, Diuinitas seu natura diuina est mortua. Quia hæ propositiones significant naturam secundum se consideratam. Concreta significant totum agens, naturam sustentantem & sustentatam, vt, Filius Dei, Filius hominis, Christus, Deus, homo. Ac in concreto verissimæ & receptæ sunt propositiones: Verbum est homo, Deus est homo, Christus est Deus, Deus est natus ex virgine, passus, &c. Quia hæc Persona nascitur & crucifigitur, in qua vnione Personali vnita est humanæ naturæ diuina. Ac semper Persona intelligitur voce concreti. Hinc intelligi potest doctrina de communicatione idiomatum, quæ est forma loquendi, qua proprietas vni naturæ conue-

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 441. b In exam. Theol. & locis de filio Dei & alibi passim.

tiens, tribuitur Personæ in concreto. Quia hæ duæ naturæ, λόγος & natura assumta, sunt vnum ὑφιστάμενον.

NEcessaria est diligentia videre, vbi sermo Ecclesiæ congruit cum philosophia, & vbi diuersæ res eisdem vocabulis nominentur. In Philosophia abstractum significat accidens per se consideratum, sine respectu substantiæ, quæ sustinet accidentia. Concretum significat subiectum vestitum seu ornatum accidentibus. At in doctrina Ecclesiæ, cùm de Christo Deo & homine est sermo, abstracta non significant accidens, sed alteram naturam in Christo secundum se consideratam. Concreta significant Personam, in qua duæ naturæ sunt vnitæ vnione hypostatica. Hoc discrimen inter abstracta & concreta necesse est retinere, vt intelligi possit definitio communicationis Idiomatum, quæ est figura seu forma loquendi, seu prædicatio, seu phrasis, in qua idioma, id est, proprietas vnius naturæ, dicitur de persona in concreto propter vnionem hypostaticam, vt rectè dicimus: Homo intelligit, quanquam mente tantùm intelligit. Stenckfeldius nostro sæculo doctrinam de communicatione Idiomatum audacissimè abiecit, eamque erroneam scholasticorum doctrinam nominauit, quæ hominibus imponat, vt Christum diuidant. Ideoque & vocabula concreti & abstracti ita prorsus in suis scriptis confundit, vt promiscuè his vtatur. Nec discernat inter has locutiones: Homo Christus, & humana natura Christi. Multò minùs verò discernit Stenckfeldius inter idiomata, seu vocabula, quibus significantur proprietates naturarum, diuinæ & humanæ, cum quidem inter hæc infinitum discrimen sit. Nam per idiomata diuina, seu vocabula proprietatum conuenientium diuinæ naturæ, significatur æternitas & immensitas sapientiæ, bonitatis, potentiæ, &c. de quibus apud Prophetam scriptum est: Gloriam

riam meam non dabo alteri. Contra verò per Idiomata humanæ naturæ, seu nomina conuenientia carni Christi, nihil significatur æternum aut infinitum, sicut nec ipsa essentia carnis Christi æterna aut infinita est.

ARGVMENTVM II.

¶ Doctrina de communicatione Idiomatum non est tradita in sacris literis. Est igitur humanum commentum, de quo frustra disputatur in Ecclesia.

RESPONSIO.

Etsi multi, qui fontes huius doctrinæ ignorant, putant esse inanem subtilitatem, pugnare de his formis loquendi, quæ dicuntur veræ communicatione idiomatum: tamen eruditi sciunt grauissimas esse causas. Nestorius negabat has propositiones: Deus est natus ex virgine, crucifixus, &c. Ideo dicebat: Noli gloriari Iudæe. Non enim Deum, sed hominẽ crucifixisti. Hinc aut ipse aut alij hoc extruebant: Christo adfuisse naturam diuinam per societatem, seu assistentiam, sicut adfuit Eliæ, aut alijs Prophetis, nec fuisse vnionem hypostaticam, seu non fuisse vnam Personam. Vt igitur discerneretur hic Filius ab alijs sanctis, & conspiceretur discrimen inter hypostaticam vnionem in Christo, & societatem seu auxilium Dei in alijs sanctis: rectè tradita est doctrina de communicatione idiomatum, quæ est forma sermonis, in qua proprietas vni naturæ congruens, dicitur in concreto de Persona. Hanc formam sermonis discimus ex ipso Filio, sic loquente in Propheticis & Apostolicis Scriptis, vt Iohan. 8. Amen Amen dico

In respon. de contr. Stancar. Tom. 1. ope. 345. b. 346. a. & b. In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 322.

vobis, priusquam Abraham natus est, ego sum. Zach. 12. Aspicient me, quem confoderunt.

In his & multis similibus dictis manifestum est, de vno & eodem Christo dici, & tamen intelligi discrimina naturarum oportet. Hîc Christus fuit ante Abraham secundum naturam diuinam. Ac nunc idem est subsistens, seu eadem Persona, quanquam natura humana assumta est.

Dicitur ergo hæc propositio vera esse communicatione idiomatum, id est, de Persona rectè sic dicitur. Etsi enim natura humana Christi non erat ante natum Abraham: tamen Persona eadem est, quæ & antè fuit, & deinde assumsit humanam naturam. Et Zachariæ duodecimo capite, Videbunt me, quem confixerunt. Filius inquit se vulnerari, cùm nondum naturam humanam assumsisset, sed propositio vera est communicatione Idiomatum. Sic Esaiæ quadragesimo tertio capite, Seruire me fecisti in peccatis tuis, Laborare in iniquitatibus tuis. Hæc tota doctrina de modis loquendi nota est his, qui legerunt Synodi Ephesinæ disputationes, quarum habemus summas in Apologia Cyrilli.

RESponsio ad hanc obiectionem monet de prima ἀφορμῇ seu occasione, qua pij Doctores in veteri Ecclesia moti sunt, vt in Synodo Ephesina diligentiùs discernerent modos loquendi de Christo. Nestorius enim vociferabatur, non Deum, sed hominem crucifixum esse. Item, Negabat se Deum bimestrem aut trimestrem agnoscere, nec volebat, Mariam dici genitricem Dei. In his verbis insidias non cernebat populus. Quare magna multitudo Nestorium defendit. Aduersabantur autem ei saniores, qui intelligebant, quo tenderet Nestorius. Re ipsa enim hoc sentiebat: sicut in Elia fuit diuinus tanquam socia & auxi-

auxiliatrix, & separabiliter: Sic in Christo λόγον adesse vt sociũ, nec volebat duas esse naturas in Christo, vnitas vnione hypostatica. Quare vt vnitatem Personę in Christo διανθρώπῳ ostenderent Orthodoxi, aduersantes Nestorio, doctrinam de communicatione idiomatum constanter defenderunt, quæ tamen non tunc primùm nata est, sed à vetustioribus scriptoribus etiam contra Arianos vsurpata fuit.

Negandum est autem antecedens in argumento propositio, & sciendum est, fallaciam esse à dicto secundum quid. Quanquam enim vocabula, quibus docendi causa vtimur, non expressè in sacris literis extant, tamen ipsæ propositiones, quæ dicuntur vere communicatione idiomatum, non sunt figmenta hominum, sed sunt verba Scripturæ, vt cùm Paulus inquit: Dominum gloriæ crucifixerunt. Deus Ecclesiam suam acquisiuit suo sanguine. Et Christus ipse: Ego pono animam meam pro ouibus meis. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, Filius hominis, qui est in cœlo. Vbicunque duo aut tres congregati sunt in meo nomine, in medio eorum sum. Item, cùm in Symbolo profitemur: Filius Dei conceptus est ex Spiritu sancto, natus ex Maria virgine, passus & sepultus &c.

ARGVMENTVM III.

¶ Paulus iubet vitare λογομαχίας, id est, pugnas seu rixas verborum.

Doctrina de communicatione idiomatum est λογομαχία, seu pugna verborum.

Non est igitur de his formis loquendi contendendum in Ecclesia.

RESPONDEO.

Cum de controuersiis Nestorij & Eutychis cogita-

In fine responsi ad art. Baua. Tom. 1. oper. 387. a. & b. In Chro. Tom. 5. oper. 234. & 241. In refut. Stancari. Tom. 1. op. 346. b.

mus, facilius intelligi potest, necessariam fuisse diligentiam discernendi modos loquendi. Pugnatum est contra Nestorium de his propositionibus loquentibus de Christo: Deus est passus, Deus est crucifixus, vt sciretur, hanc Personam Christum esse Deum, nec λόγον adfuisse ei, vt Eliæ aut alijs Prophetis. Hæc non fuit λογομαχία, sicut tunc quoque vociferabantur, sed de re maxima pugnatum fuit, sicut & decreta ostendunt, facta contra Nestorium. Sic enim loquitur decretum: Si quis in Christo diuidens hypostases post vnionem, & dicens λόγον coniunctum fuisse homini societate seu potestate, non naturali vnione, anathema sit. Non igitur rixæ fuerunt tantùm de modis loquendi, cùm doctrinam de communicatione idiomatum contra Nestorium defenderunt orthodoxi, sed certamen de rebus maximis fuit. An λόγος adsit humanæ naturæ tantum per societatem seu ἀφιστεντιαν, sicut Eliæ aut Elisæo adfuit, aut an alio modo. An sint duo Filij, λόγος, & natus ex virgine. An sit Sacerdos tantùm secundum naturam humanam. Item, An vna adoratione adorandus sit Filius.

Post Nestorium Eutyches confusionem naturarum finxit, nec tribuit proprietates suas cuique naturæ: Ac dixit. Naturam diuinam passam & mortuam esse. Hic error refutatus est in Chalcedonensi Synodo, in qua & Theodoretus, qui scripsit illustres refutationes errorum Eutychis, ad pristinam dignitatem restitutus est, cùm in Synodo, quæ ληϛρικὴ nominatur, officio Episcopi iniustè spoliatus esset. Is rectè scribit, duas in Christo nato ex virgine, naturas esse, λόγον, & assumtam naturam humanam, & vtranque retinere suam proprietatem, nec faciendam esse confusionem naturarum. Et quidem

dem de communicatione idiomatum disertè inquit: κοινὰ τῦ προσώπυ γίγονε τὰ τῶν φύσεων ἴδια. *Propria naturarum fiunt Personæ communia. Item:* ὁ σύγχυσιν εἰργάσατο τῶν φύσεων, ἡ κοινότης τῶν ὀνομάτων, *id est, communio nominum non efficit naturarum confusionem.*

Negat igitur propositiones in abstracto admitti posse, & simul ostendit, quomodo explicandæ sint per particulam distinctiuam, propositiones, quæ in concreto loquuntur de Christo. Hæc rursus non ad inanem λογομαχίαν pertinent, sed doctrinam continent necessariò in Ecclesia retinendam. Necesse est enim agnosci duas naturas in Christo nato ex virgine, & veritas vtriusque naturæ retinenda est. Verè natura humana est non spectrum, à λόγῳ assumta, nec est ipsa naturæ τῦ λόγυ, vt & Petrus distinxit duas naturas, 1. Petri 4. Cum Christus passus sit pro nobis carne. Et in Actis cap. 2. Non relicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Et Lucæ 24. Spiritus carnem & ossa non habet. Hæc & similia testimonia sint in conspectu, quæ perspicuè affirmant, verè humanam naturam in Christo esse, & simus memores dicti Iohannis in epistola: Omnis spiritus, qui non fatetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo non est.

Opponantur etiam hæc Scripturæ, & multorum veterum scriptorum dicta, Stenckfeldij & aliorum clamoribus, qui audacter similia spargunt Eutychianis & delent doctrinam de communicatione idiomatum. In his quorundam tanta est petulantia, vt fingant duplicem communicationem idiomatum, aliam Dialecticam, aliam Physicam, quæ est confusio naturarum.

NEganda est minor simpliciter in hoc argumento. Non enim λογομαχία, aut inanis subtilitas est, discernere propositiones in concreto & abstracto: Sed necesse est hanc doctrinam de diuersis modis loquendi retineri in Ecclesia, vt refutentur furores Nestorij & Eutychis: & vt agnoscatur in Christo tum Personæ vnitas: tum naturarum differentia. Ideo enim in concreto proprietatem vnius naturæ tribuimus Personæ, vt significetur in Christo duas esse naturas, non tantùm ita, vt altera sit socia & separabilis, sicut in Elia, & alijs sanctis adest Deus societate, vt auxiliator, & separabiliter, sed sic, vt λόγος assumserit humanam naturam miranda vnione inseparabili & Personali. Deinde ideo retinemus in declaratione propositionum in concreto, particulam distinctiuam, & reijcimus propositiones, in quibus proprietas vnius naturæ tribuitur naturæ alteri in abstracto vt significetur vnamquamque naturam in ipsa vnione retinere essentiam & proprietatem suam. Hanc veram doctrinam, ex qua, vt Vigilius Martyr inquit, Filius salua vtriusque naturæ proprietate rectè intelligitur esse vnus Christus, atq; adeo verus Deus & verus homo, prorsus delent atque abijciunt blasphemi Antitrinitarij, qui negant in Christo esse duas naturas vnitas κατὰ ὑπόστασιν. Eandem quoque multipliciter peruertunt & re ipsa abolent ij, qui impudenter comminiscuntur Stenckfeldiano more, communicationem idiomatum realem seu Physicam, qua λόγος omnia sua idiomata & actiones effuderit in naturam humanam, sic vt caro Christi in sese sit facta omnipræsens, omnisapiens, omnipotens, &c. & eadem agat, quæ natura diuina agit, atque etiam per sese sit adorabilis. Hoc nouo atque portentoso dogmate reipsa aboletur doctrina veteris Ecclesiæ de communicatione idiomatum, & stabilitur Eutychiana naturarum confusio. Denique & fundamentum fidei & salutis nostræ abijcitur, cùm Christus verus Deus & verus homo

homo agnosci non possit, nisi per veritatem & proprietates vtriusque naturæ, vt alibi copiosius dicitur.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Proprietas seu idioma carnis non competit naturæ diuinæ Filij. Neque idiomata τῦ λόγυ congruunt carni seu humanæ naturæ Christi.

Nasci ex virgine, pati, mori, sunt proprietates carnis. Item, esse coæternum æterno Patri, esse natum ante omnia secula, esse omnipotentem, immensum, sunt proprietates τῦ λόγυ.

Ergo non sunt admittendæ propositiones, in quibus natiuitas ex virgine, passio, mors, tribuuntur Filio Dei: aut in quibus æternitas, omnipotentia, immensitas tribuuntur Filio hominis.

Falsæ sunt igitur propositiones: Deus est natus ex virgine, Deus est crucifixus, Deus est mortuus. Item: Filius Mariæ fuit ante omnia secula: Filius hominis est omnipotens, immensus, &c.

RESPONSIO.

Vt non dicimus: Anima est corpus, & tamen de integro homine dicimus: Homo videt, intelligit: Ita rectè dicitur: Christus patitur, etiamsi non dicitur, Naturæ diuina patitur. Quanquam enim naturæ discernendæ sunt, & qualibet suas proprietates habet, vt, non posse

In fine responsi ad art. Baua. Tom. 1. oper. 387.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. o- per. 221.

lacerari, & mori. proprietas est diuinæ naturæ: sed proprietas humanæ naturæ erat posse lacerari & mori: tamen & hoc firmissimè retinendum est, quòd sit vna persona seu vnum ὑφιστάμενον, λόγος, & humana natura assumta. Quare & hæ propositiones retinẽdæ sunt, Filius Dei natus est ex virgine, Deus est passus. Significatur enim his propositionibus, hanc personam, quæ est Deus, mortuam esse, etiamsi secundum humanam naturam est mortua. Hæc phrasis nominatur communicatio idiomatum, & fons est doctrinæ de vnione hypostatica. Ideo enim prædicatæ communicantur, quia est vnum ὑφιστάμενον, vt dicimus: Homo numerat, etiamsi mente tantùm numerat. Nec tamẽ in abstracto dicitur: Diuinitas est mortua, vel diuina natura est mortua: quia in abstracto significatur natura secundũ se considerata, & tribuitur vni naturæ hoc, quod contrarium est huic naturæ, vt si dicerem, Sanguis numerat, aut nasus.

DIligenter consideranda est responsio ad hanc obiectionem, quæ præcipuè à Nestorianis opponitur doctrinæ de communicatione idiomatum. Cùm enim non sit facienda confusio naturarum, nec miscendæ sint naturarum proprietates: mirum videri potest, quomodo rectè dicatur: Deum esse natum ex muliere. Item, Deum creuisse ætate & sapientia, cùm nasci in tempore, & crescere ætate, non congruant naturæ diuinæ, sed naturæ creatæ & finitæ. Sic igitur ratiocinabatur Nestorius:

Naturæ vnius proprietas non est tribuenda naturæ alteri.

Crucifigi & mori sunt proprietates carnis.

Non igitur dicendum est, Deus est crucifixus, aut mortuus.

Sciendum est autem, aliud esse loqui in abstracto, aliud in concreto. Non sunt proprietates vnius naturæ

tribuendæ alteri, videlicet in abstracto. Non enim possunt idiomata naturæ diuinæ tribui carni, neque proprietates carnis tribui possunt diuinitati. Et tamen in concreto proprietates cuiusque naturæ rectè dici possunt de Persona, quia necesse est intelligi, Filium Dei & Filium hominis non esse duos Filios, sed vnum Filium seu vnicum ὑφιστάμενον. Ac postea in declaratione talium propositionum, vtendum est particula distinctiua, quæ docet, cui naturæ proprium sit id, quod in concreto de Persona dicitur. Est igitur consequentia in argumento vitiosa, quia plus est in conclusione, quàm fuit in præmissis. Præmissæ loquuntur de propositionibus in abstracto, quæ non sunt admittendæ, ne fiat naturarum confusio. Inde non rectè infertur conclusio, quæ loquitur de propositionibus in concreto, quas retineri oportet, ne distrahatur Personæ vnitas.

ARGVMENTVM V.

¶ Non sunt mutandæ formæ verborum traditæ in Scriptura, & Symbolis, nec quidquam ijs vel addendum est, vel detrahendum.

Sunt autem hæ formæ loquendi de Christo vsitatæ Scripturæ & Symbolis: Dominus gloriæ crucifixus est, Filius Dei ex Maria virgine natus est, &c.

Peccant igitur qui addunt his propositionibus determinationes certas, de hac vel illa natura: vt cum dicunt, alia congruere Christo secundum diuinam, alia secundum humanam naturam, cum potius videatur dicendum esse: quæcunque de Christo dicuntur, ea secundum vtramq; naturam de eo intelligenda esse.

RESPONSIO.

In respon. de contr. Stancar. Tom. 1. oper. 346.

Vt in Christo Personæ vnitatem retineri oportet: Sic necesse est in eo agnosci duas naturas. Ideò etsi veræ sunt propositiones, & vsitatæ Scripturæ & Symbolis: Christus est mortuus, Deus est mortuus: tamen Petrus declarationem addidit 1. Petr. 4. Christus passus est carne. Ac Paulus vsus est particula distinctiua Secundum, Rom. 1. & 9. & in Act. cap. 2. dicitur: Ex fructu lumborum eius secundum carnem. Sic postea Athanasius & Cyrillus vtuntur particula, Secundum, tanquam distinctiua. Sæpe sic loquitur Athanasius, & in libro cui titulus est: De assumtione hominis, inquit: Nónne hæc omnia secundum humanam naturam sustinuit? Sic & Hieronymus loquitur in expositione fidei, Passus est secundum id quod pati poterat, videlicet non secundum naturam quæ assumsit, sed secundum illam quæ assumta est. Ac mox addit: Mortuus est Dei Filius iuxta Scripturas secundum id quod mori poterat. Vigilius Martyr, Episcopus Tridentinus lib. 4. inquit, Ipse igitur vnus idemq; Dei Filius Dominus Iesus Christus mortuus est secundum formam serui, & non est mortuus secundum formam Dei. Denique passim obuia sunt talia dicta. Nusquam autem inuenitur hæc forma sermonis: Christus secundum vtramque naturam diuinam & humanam est mortuus. Nec in re tanta nouæ & ambiguæ formæ loquendi spargendæ sunt, Vbi autem prædicatum conuenit vtrique naturæ in abstracto, ibi rectè sic loquimur. vt Christus est viuus in cælo secundum vtramque naturam, &c.

VTilis commonefactio est in hac responsione: quæ ex dictis Scripturæ & testimonijs veterum scriptorum ostendit: Quòd in communicatione Idiomatum seu in propositionibus, quæ de naturarum proprietatibus loquuntur: non sit necesse, vt quæ prædicantur de Persona, eadem vtrique naturæ pariter conueniãt. Vt vera est propositio: Christus est æternus, omnipotens, immensus, creator rerum omnium, etiamsi hæ proprietates Christo conueniunt, non secundum humanam, sed iuxta diuinam naturam: Sic vera est propositio: Christus est ex semine Dauid, & passus ac mortuus est, etiamsi hæc idiomata Christo secundum humanam naturam congruunt. Prodest autem in conspectu habere & scripturæ exempla, & multa dicta veterum, in quibus expressè additur particula distinctiua propositionibus, quæ veræ sunt communicatione idiomatum: vt firmiter hoc retineatur: Seruandas esse proprietates in qualibet natura. Nec proprium vnius naturæ impedire, quo minus adsit natura altera. Exempla plurima diligenter collegit Theodoretus in dialogis.

ARGVMENTVM VI.

¶ In propositionibus, quæ loquuntur de Christo, addenda est explicatio, per particulam distinctiuam, vt possit intelligi, secundum quam naturam prædicata, Personæ Christi conueniant.

Ergo vt hæc propositio, Christus est passus, interpretanda est secundum naturam humanam: ita & istæ: Christus est Redemtor, Saluator, &c. interpretandæ sunt secundum alteram naturam.

RESPONSIO.

Discernendæ sunt appellationes, quæ significant na-

In respon. de contr. Stancar. Tom. 1. oper. 347.

turarum proprietates, ab appellationibus officij. Deus, omnipotens, immortalis, sunt appellationes ad naturam diuinam referendæ. Homo passus, vulneratus, mortuus, sunt appellationes ad naturam humanam referendæ. Sed nomina officij sunt: Mediator, Redemtor, Saluator, Rex, Sacerdos, Pastor, &c. Hæc nomina officij competunt Personæ, non tantùm humanæ naturæ. Est igitur dissimilitudo inter has propositiones: Filius Dei est mortuus. Et: Filius Dei est Mediator, Rex, Sacerdos, Pastor. Hanc dissimilitudinem attentè cogitet pius lector. Fons autem dissimilitudinis est, quia necesse est discernere proprietates, quæ tribuuntur Christo. Aliæ sunt solius naturæ diuinæ, vt non posse vulnerari, non posse mori: Aliæ sunt solius humanæ naturæ: posse vulnerari, mori, &c. Ex his fiunt propositiones veræ communicatione idiomatum. Et tamen cauendum est, ne fiat confusio naturarum. Aliæ sunt proprietates, quæ sunt immediatè Personæ. Christus est Mediator, Redemtor, Sacerdos, Rex, Saluator. Quia fatendum est, quòd λόγος venerit non tantùm, vt hanc massam quam assumserat, sustentaret, sed propter nos, vt hæc persona esset saluatrix, quæ habet multa officia, quorum exercet quædam immediatè per humanam naturam, vt passionem, mortem: quædam per diuinam naturam, vt viuificationem. Christus est Sacerdos benedicens. Benedicere autem non est solius humanæ naturæ, sed Personæ, quia personæ est, & orare pro nobis, & offerre pro nobis suam obedientiam, & remittere peccata, & communicare sese nobis, iuuare & viuificare.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 323.

Non

NOn valet consequentia, cùm sit confusio disparatorum. Est enim dissimilis ratio propositionum, quæ describunt proprietates naturarum, & quæ significant officium. In propositionibus, vbi prædicatum, alterius tantùm naturæ proprietatem significat, vtendum est in explicatione particula distinctiua, vt discrimina naturarum seruentur. Etsi enim per communicationem idiomatum veræ sunt propositiones in concreto: Christus est mortuus: Christus est æternus, immensus: tamen hæc declaratio addenda est: Christus est mortuus secundum humanam naturam: Christus est æternus & immensus secundum diuinam naturam. Non enim sunt in Christo duæ naturæ æternæ, aut duæ naturæ infinitæ. Nec dici potest, Christus secundum vtramque naturam mortuus est. Quia natura diuina non moritur. Sic non potest dici: Christus secundum vtramque naturam est æternus, immensus. Quia hæ sunt proprietates naturæ diuinæ. At in propositionibus, vbi prædicatum est nomen officii, non est vtendum restrictione ad alteram naturam tantùm. Quia officium non est proprietas tantùm vnius naturæ, sed competit Personæ habenti actiones in vtraque natura, vt: Christus est Sacerdos. Hæc propositio sic intelligenda est, vt sciamus Christum esse Sacerdotem secundum vtranque naturam. Nam ad officium Sacerdotis pertinent multæ actiones, in quibus agit vtraque natura cùm communione alterius, seruata tamen cuiusque naturæ proprietate.

ARGVMENTVM VII.

¶ Christus est Redemtor secundum vtramque naturam.

Est autem Redemtoris maximè proprium mors & passio, vt Petrus inquit 1. Pet. 1.

¶

Redemti estis pretioso sanguine, quasi agni immaculati & incontaminati Christi.

Ergo mors & passio tribuenda est Christo secundum vtramque naturam.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 322. 323. 22. & 223. Item 321.

Nomina officij rectè tribuuntur personæ, non alteri naturæ tantùm. Pertinent autem ad officium multæ actiones, quarum aliquas hæc persona exercet immediatè per humanam naturam, vt passionem & mortem, Aliquas per diuinam naturam, vt viuificationem. Ac vtile est nosse dicta veterum scriptorum, qui de formis loquendi certa testimonia tradere voluerunt. Verba Hieronymi in expositione fidei ad Damascum hæc sunt: Nos autem ita dicimus, à Dei Filio susceptum esse passibile nostrum, vt Deus impassibilis permaneret: Passus est enim Filius Dei secundum illud quod pati poterat, scilicet secundum substantiam assumtam. Item: Mortuus est Dei Filius secundum Scripturam iuxta id quod mori poterat. Et Augustinus in Psal. 129. Per illud quod homo erat, mortuus est Deus, & per illud quod Deus erat, homo exuscitatus est & resurrexit. Ambrosius de incarnatione Verbi: Ergo moriebatur secundum naturæ nostræ susceptionem, & non moriebatur secundum æternæ vitæ substantiam. Eodem modo semper locuti sunt Athanasius, Cyrillus & Vigilius, & deinde omnes scriptores. Et extat in lib. 9. Tripartitæ historiæ decretum inter cæteras optimas sententias: Si quis dicit, quòd in Passione crucis dolorem sustinuerit Filius Dei diuinitate, & non carne. & anima rationali,

tionali, quam assumsit in forma serui, vt dixit sancta Scriptura, anathema sit.

Cúmque nemo in Ecclesia sic sit locutus: Christus secundum vtramque naturam mortuus est, diligentiam & circumspectionem Ecclesiæ veteris nos quoque imitemur, ac sciamus eos vsos esse particula, secundum, tanquam distinctiua: Christus mortuus est secundum humanam naturam. Hìc non fit diuulsio Personæ: sed sua cuique naturæ proprietas attribuitur, sicut particula Secundum vsus est Paulus Rom. 1. Nato ex semine Dauid secundum carnem. Et Act. 2. dicitur: secundum carnem resurgere Christum. Retinenda est igitur Personæ vnitas, & tamen non sunt confundendæ naturæ.

RVrsus fit confusio disparatorum. Aliud est enim ipsum officium Redemtoris: aliud actiones Pertinentes ad hoc officium. Non igitur sequitur: Nomina officij sunt communia Personæ Christi secundum vtramque naturam. Ergo & actiones pertinentes ad Christi officium pariter communes sunt vtriquenaturæ. Verè quidem tribuitur totum officium Christo secundum vtramque naturam. Nam si Christus aut Deus tantùm aut homo fuisset, non potuisset esse redemtor. Sed vt in Redemtore duæ sunt naturæ inseparabiliter, & inconfusè vnitæ, sic manentibus proprietatibus & actionibus naturarum distinctis, vnaquæq; natura agit quod suum est. Humana natura patitur & moritur: Diuina seriò vult hanc obedientiam in carne assumta, & in passione sustentat humanam naturam, & mortuam resuscitat, & persoluto hoc λύτρῳ, & deuicto peccato & morte, restituit iustitiam & vitam æternam. Ita manifestum est plures actiones, & eas quidem dissimiles pertinere ad officium Redemtoris. Simul autem sciendum est, etiam cuiusque naturæ actiones propriæ & distinctæ sunt:

tamen non separatas esse, quia Deus Verbum & homo vna est Persona. Et sicut naturæ: ita etiam operationes vniuntur, & fit ex vtriusque naturæ actionibus vna ἐνέργεια θεανδρική, atque ita vnum ἀποτέλεσμα, vt Damascenus loquitur. Hoc modo tota redemtio dicitur esse commune opus Personæ agentis in vtraque natura.

Hæc responsio congruit cum regula Leonis, quam vetustas orthodoxa magno cum consensu probauit: Agit vtraque forma quod proprium est: Verbo scilicet operante quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est.

ARGVMENTVM VIII.

¶ Necesse est agnoscere omnes actiones Christi fieri iam in natura assumta, posteaquam Filius Dei homo factus est.

Sunt igitur actiones & passiones omnes Christo tribuendæ secundum vtramque naturam: aut si omnino passio non potest tribui naturæ diuinæ: tamen viuificatio & cæteræ diuinæ actiones non tantum naturæ diuinæ in Christo, sed etiam humanæ ipsius naturæ tribuendæ sunt.

RESPONSIO.

In enerra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 318.

Actiones & passiones dicuntur esse totius Personæ communicatione idiomatum vt dicimus: Homo numerat etiãsi tantum mens numerat. Interea tamẽ aliquæ actiones, vt viuificare aut resuscitare mortuos, competunt Christo secundum naturam diuinam. Et quanquam hæc Persona λόγου, etiam ante incarnationem missa

missa est, vt immediatè per eam æternus Pater colligat Ecclesiam: tamen fiunt iam hæ actiones in natura assumta, & ideo fiunt, quia decretum de illo mirando fœdere factum est, videlicet de Filio mittendo ad assumendam naturam humanam. Fiunt autem & actiones multæ ministerio assumtæ naturæ, vt cùm iudicabit Filius resuscitatos visibiliter, iudicium verè erit potentiæ diuinæ, sed ministerio assumtæ naturæ, sicut inquit: Omne iudicium dedit Filio. Est autem & sua efficacia naturæ assumtæ, quæ antecellit omnibus creaturis potentia, depellit diabolos, protegit Ecclesiam, & multa potenter agit, quæ capiti congruunt.

EST hoc vnum ex præcipuis argumentis Stenckfeldij & aliorum, qui patrocinantur Reali seu Physicæ communicationi Idiomatum. Affirmat Stenckfeldius omnes actiones ita tribui Personæ Christi, vt non sit distinctio admittenda vlla, secundum quam naturam hæc aut illa actio tribuatur Christo. Idem dicunt patroni Realis seu Physicæ communicationis idiomatum, cùm falsò affirmant, ipsas τοῦ λόγου actiones realiter communicatas esse naturæ humanæ. Est autem hoc totum commentum, iam pridem orthodoxæ Ecclesiæ veris iudicijs damnatum in Synodo Oecumenica sexta, in qua damnati sunt Monothelætæ, qui cum essent reliquiæ Eutychianorum, contenderunt vnum quidem & eundem incarnatum, θεὸν λόγον diuina & humana operari: sic tamen, vt nequaquam illa huius, hæc verò alterius naturæ propria. Neque eò quòd diuersa sint opera, ideo duæ operatrices naturæ rectè dici possint. Huic furori fingenti infinitam confusionem naturarum, proprietatum & actionum vtriusque naturæ in Christo, opposita est hæc vera assevueratio: Quòd sicut in Domino nostro Iesu Christo duæ naturæ indiuisè ac inconuer-

tibiliter vnitæ sunt: Sic & proprietates naturarum distinctè, indiuisè, incommunicabiliter, inconfusè, inseparabiliter in eodem Christo maneant. Præterea etiam quòd volũtates in Christo sint distinctæ, & actiones suæ cuique naturæ congruentes, non quidem contrariæ illæ inter se, nec diuersæ sibi inuicem, nec tanquam separatæ in duabus Personis, sed naturarum ratione differentes, vt quemadmodum naturas duas; ita & naturales in se voluntates & operationes, vnus idemque Dominus noster Iesus Christus habeat: diuinam & humanam.

Hinc igitur facilè est respondere ad argumentum propositum: in quo plus est in consequenti quàm fuit in antecedenti. Etsi enim verissimum est, Filium Dei efficacem esse seu agere iam in natura assumta, id est, omnes actiones pertinentes ad officium redemtoris & Saluatoris Ecclesiæ, fieri à Persona quæ est Deus & homo: tamen nequaquam inde sequitur, Omnes actiones Christi vtrique naturæ simul competere. Quia vnio personalis nec naturarum, nec proprietatum, nec actionum confusionem facit. Deinde etsi multæ actiones pertinentes ad officium Mediatoris fiunt ministerio naturæ humanæ: & sua quoque efficacia est naturæ assumtæ in multis actionibus congruentibus Christo tanquam capiti Ecclesiæ: Tamen falsum est, τὸν λόγον per humanam naturam, & non nisi mediante humana natura omnia in vniuersum & semper efficere, aut easdem actiones humanæ naturæ, perinde vt diuinæ tribuendas esse. De hac tota disputatione si quis copiosiorem enarrationem desiderat, is posteriorem partem lib. 3. τῆς ὀρθοδόξης πίστεως requirat apud Damascenum.

DE

DE OFFICIO CHRISTI.

ARGVMENTVM I.

¶ Agnitio Filij Dei affert iustitiam & vitam æternam sicut Esaias inquit: Notitia serui mei iustificabit multos.
Diaboli habent notitiam Filij Dei.
Ergo Diaboli iustificantur coram Deo, seu habebunt vitam æternam.

RESPONSIO.

In Christo non tantùm Persona sed etiam officium & beneficia consideranda sunt. Norunt & diaboli, ac fatentur Filium Dei natura Deum esse, eumque horribiliter timent: Sed doctrinam de beneficijs summo cum dolore cogitant, quia sciunt ea non pertinere ad se, sed ad genus humanum, sicut in ipso Symbolo scriptum est: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlo. Et Rom. 5. dicitur: Sicut per vnius delictum condemnatio in omnes homines, sic per vnius iustitiam ad omnes homines iustificatio vitæ pertinet. In enarra. Sym. Nic. Tom. 1. oper. 401.

FAllacia est à dicto secundum quid. Vera notitia Filij Dei complectitur agnitionem Personæ & officij seu beneficiorũm Christi coniunctam cum fiducia acquiescente in Christo Mediatore. Etsi autem norunt diaboli Personam Filij, tamen officium sciunt ad se non pertinere. Ideo & Iacobus inquit: Dæmones credunt & contremiscunt.

ARGVMENTVM II.

¶ Deus recipit homines gratis, vt Rom. 3. dicitur: iustificamur autem gratis, &c.
Ergo non opus fuit redemtionem fieri per Filium.

RESPONSIO.

In enarra. Epist. ad Rom. To. 4. op. 87.

Particula Gratis, apud Paulum excludit nostra merita: Et tamen causa reconciliationis mox addita est, scilicet per gratiam ipsius, id est, per misericordiam. Posteaverò & Paulus ipse addit: Per redemtionem, quæ est in Christo Iesu. Significat igitur mirando consilio temperatam esse misericordiæ iustitiam. Recipit nos Deus per misericordiam, sed ita, vt seruari tamen ordinem iustitiæ velit. Nam omnis lex obligat, vel ad obedientiam, vel ad pœnam. Postquam igitur homines facti sunt rei, offert se Filius Dei ad pœnam, quæ valet pro alijs, quia ipse & innocens est, & verè diligitur. Hoc mirandum consilium & temperamentum misericordiæ & iustitiæ, in tota æternitate contemplabimur in Deo, & de eo Filium Dei nos docentem audiemus, & celebrabimus hoc mirandum fœdus, copulationem diuinæ & humanæ naturæ, & Deo gratias agemus. Inchoari tamen has cogitationes in hac vita necesse est. Assiduè consideremus, quanta res sit, quòd diuina Persona se demittit, & assumit massam nostræ naturæ, quantus amor sit in Filio erga nos, quanta misericordia æterni Patris, quod Filium mittit, quàm preciosa sit hæc obedientia, quæ quidem horribilibus sceleribus omnium hominum anteferenda est, iuxta dictum: Gratia exuberat supra delictum.

Fallacia

Fallacia est diuisionis: Paulus non tantùm dicit nos gratis iustificari, id est, reconciliari Deo, excludens nostra merita, sed etiam addit expressam mentionem causæ προηγουμένης, scilicet gratiæ seu misericordiæ Dei. Et causæ impulsiuæ, videlicet redemtionis seu meriti Filij, de quo dicitur Esaiæ 43. In peccatis tuis seruire me fecisti, & laborare me fecisti in iniquitatibus tuis. Item: Esa. 53. Seruus meus iustus ponet animam suam hostiam pro peccato. Cùm igitur fit mentio particulæ gratis, sciamus omnibus operibus nostris detrahi meritum: Sed simul sciamus constitutum esse meritum Filij Dei, propter quod solum recipiuntur omnes in conuersione, qui credunt in Filium Dei. Et id tam magnum est, vt longè vincat omnia omnium peccata.

ARGVMENTVM III.

¶ Apud Esaiam dicitur, Gratis venundati estis, gratis redimemini.
Pugnat igitur hoc dictum Esaiæ cum dicto Pauli Rom. 3. Iustificati per redemtionem quæ est in Christo Iesu.

RESPONDEO.

In prop. Tom. 4. oper. 576. Et in enarrat. epi. ad Rom. ibi. 131. & 136.

Dulcissimè dictum est Esaiæ Prophetæ cap. 52. Gratis venundati estis, & sine argento seu gratis redimemini: vbi non hoc vult vox diuina, nostrum lapsum non esse causam seu meritum condemnationis, sed diabolum & homines accusat Deus, tanquam prædones, quòd rem alienam transtulerint, videlicet genus humanum, quòd erat Dei possessio: Hanc possessionem præcipuè diabolus insidiator eripuit Deo, & nec Deo nec homini aliquid boni reddidit, sicut alioqui in venditio-

ne, is qui vendit, debet aliquid boni recipere, pro re vendita. Sic igitur inquit: Gratis venundati estis, id est, iniustè in seruitutem pertracti estis fraude diaboli, nec Deo solutum est precium, nec hominibus data promissa. Iustum est igitur vicißim, me rem meam recuperare, non dato precio prædoni. Non enim à fure seu prædone res rursus emenda est, sed sine pretio per iudicem iustum restitui debet Domino. Et quia vos quoque non accepistis illa promissa, Eritis sicut dij: sed potius omnibus malis onerati estis: Rursus igitur fiet redemtio non vestro pretio, quod vos inopes mihi dare non potestis, sed Filius persoluet λύτρα. Hæc non pugnant cum dicto Pauli, qui cùm antea dixisset, gratuitam esse misericordiam, mox addit commemorationem de Mediatore: vt intelligamus excludi nostra merita, & non meritum Filij Dei, sed in illo arcano decreto, de generis humani restitutione, mirando consilio temperatam esse misericordiæ iustitiam.

In enarra. Epist. ad Rom. To. 4. op. 82.

NOn pugnant inter se dictum Pauli & Esaiæ, quia Esaias (cuius verba typicè ad liberationem generis humani ex potestate diaboli & ex captiuitate totius regni peccati concinnè congruunt) particulam Gratis opponit non merito Filij, de quo Pauli sententia expresè docet, sed diaboli iniustitiæ, & hominum inopiæ, quæ seipsam redimere non potest. Tale enim Enthymema est in dicto Esaiæ, sumtum à iure vsitato: Cùm gratis sitis venundati, id est, cùm mihi sine precio meam possessionem eripueritis: Gratis redimemini, hoc est, retraham vos magna gloria: Nec diabolo precium dabo, sed potius latronum pœna eum afficiam. Et quia homines precium mihi dare non possunt: redimam illos non ipsorum precio, sed Filio persoluente λύτρα, non vt detur aliquid diabolo, sed

ed vt satisfiat iustitiæ Dei. Ex hac declaratione sumenda est responsio ad argumentum, quòd paulo ante obitum in quadam prælectione publica explicauit Dominus præceptor Philippus Melanthon ex Nazianzeno,

In histor. narrat. de obitu Phi.

Tenenti captiuum debetur λύτρον seu pretium redemtionis.

Diabolus tenuit captiuum genus humanum.

Ergo diabolo debetur λύτρον seu precium redemtionis: Et per consequens: oportuit Filium Dei fundere sanguinem, vt satisfieret diabolo.

Hîc ad maiorem respondendum est: λύτρον debetur tenenti captiuum, scilicet, si iustè teneat, vt regi vel Domino gerenti bellum legitimum; Non autem latroni vel prædoni debetur λύτρον. Diabolus autem rapuit hominem Deo tanquam latro. Non igitur ei debetur quidquam nisi pœna. Quòd autem Filius λύτρον persoluit, nequaquam fit in gratiam diaboli, à cuius potestate & tyrannide Filius Dei diuina potentia credentes liberat, & ipsum latronem abijcit in æternas pœnas: Sed Deo, qui lapsum hominem iustè tenebat, seu obligabat ad pœnam, persoluit Filius pretium redemtionis, vt satis fiat ipsius iustitiæ. Idem argumentum Nazianzenus tractat in oratione secunda de Paschate.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Gal. 3. inquit Paulus: Mosen fuisse Mediatorem populi. Lex enim per manum Mediatoris data est.

Non ergo rectè dicitur Christus vnicus Mediator,

RESPONSIO.

In enarra. ep. ad Ti. To. 4. op. 384. & 385.

Verba Pauli Gal. 3. sumta sunt ex historia, quæ recitatur Exodi vicesimo & tricesimo quarto. Vbi populus consternatus audita voce Dei, inquit: Loquere tu nobis, & audiemus: Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. In qua historia significatum est, humanam naturam non posse sustinere vocem Dei. Sicut & Deuteronom. quarto dicitur: Deus est ignis consumens. Est autem ibi Moses Mediator typicus. Nam nec ipse audire Deum potuisset, nisi Filius fuisset vmbraculum, sicut Exodi 33. dicitur: Non videbit me homo & viuet. Sed addit: Protegam te dextra mea. Non sustinet Moses iram Dei, nec est propitiator, nec potest transfundere radios iustitiæ & vitæ in alios: ideo velatus est, vt significetur typum proponi. Sed alius est verus Mediator Dominus noster Iesus Christus, qui & sustinet iram Dei, & est propiciator, & transfundit radios suæ iustitiæ & vitæ in eos, qui ipsum audiunt, Ideo Paulus 1. Timoth. 2. inquit: Vnus est Mediator. Quia non de typico, sed de vero Mediatore loquitur: De quo addit: Qui dedit se ἀντίλυτρον pro omnibus hominibus. Hîc vniuersalis particula obseruanda, & vis vocabuli considerandæ est, quod significat compensationem & pretium. Vult enim intelligi Paulus talem Mediatorem, qui in sese deriuauit pœnam. Ideò Romanorum tertio nominat Propiciatorem. Quia ad veri Mediatoris officium pertinet, vt sustineat pœnam pro nobis, & sit Propiciator. Intuentes autem hoc tam grande pretium, agnoscamus Deum verè & horribiliter iratum peccatis. Quia mirabili & inenarrabili sapientia copulatæ sunt iustitia & misericordia in redemtione. nec receptum est genus humanum nisi ita, vt simul iustitiæ Dei satisfieret,

ret. Hanc iustam iram Deus vult conspici. Rursus etiam vult erigi fidem, & agnosci misericordiam, cùm consideramus hoc pretium longè antecellere nostris peccatis. Hic fons est omnium consolationum in summis doloribus, nec potest hæc admiranda doctrina satis copiosè verbis exponi. Sed tamen initia hîc vtcunque cogitanda, & in quotidiana inuocatione repetenda sunt, & precandum, vt ipse Filius Dei Mediator radios suæ sapientiæ & iustitiæ in nos transfundat.

CVm dicto Pauli ad Galat. in quo Moses nominatur Mediator, congruit dictum Deuteronom. 5. vbi Moses inquit: Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos à tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius. Timuistis enim ignem, & non ascendistis montem. Non autem pugnat hæc descriptio Mosis cum dicto Pauli ad Timoth. Nam Christus est vnicus verus Mediator, scilicet merito & efficacia. Merito, quia ipse sustinet iram æterni Patris, & satisfacit iustitiæ Dei pro nobis. Efficacia verò, quia vincit mortem, reddit iustitiam & vitam, ingreditur in arcanum consilium Patris, intercedit pro nobis, videt & iudicat omnium corda, opitulatur & sanctificat.

At Moses nominatur Mediator, videlicet typicè loquendo, quia fuit internuncius, quo intermedio vsus est Dominus, cùm legem promulgauit in monte Sina, & postea totam politiam constituit. Porrò veteres, cùm Paulus inquit: legem per manum Mediatoris datam esse, intelligunt ipsum Filium Dei λόγον æterni Patris fuisse oratorem ad populum dicentem verba legis: qui ipse postea in natura humana etiam inquit: Non veni soluere legem, sed adimplere. Hæc interpretatio extat apud Chrysostomum, cuius hæc sunt verba: Mediatorem hoc loco Christum appellat, vt ostendat λόγον fuisse ante assumtionem naturæ humanæ, & legem promulgasse.

ARGVMENTVM V.

¶ Quæ passionis fuerunt propria, cessarunt iam seu præterierunt, quia passio tantum ad tempus humiliationis pertinet, quod iam præterijt.

Intercessio seu deprecatio fuit propria passionis.

Est enim intercessio coniuncta cum passione.

Ergo Christus iam resuscitatus neque intercessor est, neque inuocandus vt intercessor.

RESPONSIO.

In 4. To. decl. 843.

Speciosè hæc dici videntur à Sophistis illis, qui contendunt Christum nunc post passionem non inuocandum esse vt Mediatorem seu Intercessorem, sed tantùm vt Deum, datorem bonorum, & nolunt dici: Fili Dei Domine Iesu Christe intercede pro me apud æternum Patrem: cum quidem hac forma etiam Cyprianus aditurus supplicium vtatur: Fili Dei Domine Iesu Christe à te peto, vt petas pro me, vt mihi detur, &c. Sed manifesta testimonia sunt in epist. ad Romanos, et in epistola ad Hebræos, quòd Christus nunc quoq; pro nobis intercedat. Quare etsi passio est certi temporis: tamen officium intercedendi fuit ante assumtam naturam humanam, & nunc manet. Nam in Psalmo dicitur: Postula, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. Et ad Romanos dicitur: Est ad dextram Dei, qui & interpellat pro nobis. Et ad Hebræos dicitur: Semper viuens vt intercedat pro eis. Hæc testimonia cùm sint perspicua, manifestum est officium intercessionis non desisse. Sit etiam nota dulcis sententia Eusebij: ὁ μέγας τῶν ὅλων ἀρχιερεὺς, αὐτὸς Ιησοῦς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ, τὸ παρὰ πάντων εὐῶδες θυμίαμα, καὶ τὰς διὰ εὐχῶν ἀναίμους καὶ ἀύλους θυσίας, φαιδρῷ τῷ βλέμματι καὶ ὑπτίαις ὑποδεχόμενος χερσὶ, τῷ κατ' οὐρανὸν πατρὶ καὶ θεῷ τῶν ὅλων παραπέμπεται πρῶτος αὐτὸς προσκυνῶν, καὶ μόνος τῷ πατρὶ τὸ κατ' ἀξίαν ὑπονέμων σέβας. εἶτα δὲ καὶ πᾶσιν ἡμῖν εὐμενῆ διαμένειν, καὶ δεξιὸν εἰς ἀεὶ παραιτούμενος. id est, Magnus ille vniuersorum Pontifex ipse Iesus, vnigenitus Dei, qui ab omnibus bene fragrantem odorem, & incruenta ac spiritualia precum sacrificia, læto vultu ac pronis manibus susceptа, cælesti Patri & Deo omnium offert, primus ipse adorans, & solus Patri dignum honorem tribuens: Deinde verò & orans, vt nobis omnibus semper placatus manere & propitius esse velit.

ARgumentum hoc est Canisij Iesuitæ, quo vel maximè stabilire conatur inuocationem sanctorum mortuorum. Hos enim nunc compellandos esse ait vt intercessores, non Christum. Idque hoc prætextu pingit. Quia Mediatoris & Intercessoris officium pertinet ad tempus obedientiæ Christi vsque ad resurrectionem. Id verò tempus nunc præterijsse. Sed respondendum est per inficiationem, officium intercessionis nequaquam referendum est ad humiliationis tempus tantùm, quia intercessor est Filius Dei antequam assumsit naturam humanam, nec desiit intercessio, postquam præterijt tempus passionis. Etsi enim meritum seu obedientia est certi temporis: tamen applicatio illius meriti, quæ fit in intercessione, & efficacia est omnium temporum ante & post nativitatem ex virgine. Ideo Christus nominatur Sacerdos in æternum. Et sic Nazianzenus dixit: vnus Deus

& vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Adhuc enim vt homo, id est, naturam humanam retinens, pro mea salute intercedit, & est cum corpore, quod assumsit: προεσθέυει γὰρ ἔτι καὶ νῦν ὡς ἄνθρωπος, ὑπὲρ τῆς ἐμῆς σωτηρίας, καὶ μέτα τοῦ σώματος ἐστιν ὃ προσέλαβεν.

ARGVMENTVM VI.

¶ Iohan. 16. inquit Christus ipse: Non dico quod ego rogaturus sim pro vobis.

Ergo non est officium Christi proprium ac perpetuum: esse Sacerdotem, & pro nobis assidue deprecari.

RESPONSIO.

In enarra. epist. ad Colos. Tom. 4. oper. 335. In enarra. Ioh. To. 3. oper. 831. Item. To. 4. decl. 344. & alibi passim.

Grammatica & vera responsio est: non excludi Christi precationem, vt si dux dicat: non dico me praliaturum esse, sed vos mecum praliabimini. Hic satis apparet, in posteriori membro affirmatiuam sententiam esse, sicut & eodem loco inquit: In illo die in nomine meo petetis. Vult ergo nunc quoque agnosci, quòd sit Mediator & intercessor. Non est igitur exclusio intercessionis Christi, sed est correctio erroris de omissione nostræ precationis, seu admonitio, vt adiungatur nostra precatio. Iam cogita quàm dulce mandatum sit, quod præcipit, vt nos quoq; accedamus ad Deum, vt nos ad ipsius intercessionẽ adiungamus nostra vota & nostros gemitus. Vult te quoque precari: non vult nos ignauos aut ociosos milites esse. Sed vult vt ipsi accedamus ad Deum, sicut dux vult milites simul præliari. Hac Grammatica & vera responsione contenti simus, & meminerimus dulcissimam consolationem propositam esse, quæ affirmat,

mat, & audiri nostras preces, & nos simul cum Filio diligi propter ipsum. Sicut eodem loco dicitur: Ipse Pater diligit vos. Hanc dulcissimam consolationem non sinamus corrumpi venenata Sophistica.

EST & hoc argumentum Canisij Iesuitæ, quo negat Christum inuocandum esse vt Mediatorem. Est autem dictum Christi intelligendum inclusiuè seu comprehensiuè, vt in scholis loquimur, non exclusiuè. Non enim simpliciter negat se velle pro nobis intercedere, sed docet, quòd velit nos ipsos secum ad Patrem accedere. Occurrit enim ingenti imbecillitati hominum, qui præsertim in magnis doloribus, intuentes sua peccata, non audent ad Deum accedere, non audent petere aut expectare auxilium aut mitigationem miseriarum. Hanc trepidationem & fugam reprehendit Christus, & retrahit nos dubitantes ad se: Non solus orabo, sed vt Sacerdos chorum post se trahit, sic ego ero ἔξαρχος precum, præibo vobis, perferam vestra vota ad Patrem. Sed tamen & vos precari volo, nec deterreat vos conspectus imbecillitatis vestræ. Etsi enim infirmi estis: tamen diligit vos Pater vero & paterno amore propter me, vt membra mea.

ARGVMENTVM VII.

¶ Christus ipse est dator bonorum, quæ sunt necessaria corpori & animæ. Quia est Deus cum Patre & Spiritu sancto.

Ergo non vtendum hac forma precandi, vt Deus misereatur nostri propter Christum, vel propter eum iuuemur à Patre æterno.

RESPONSIO.

Semper Filius vtroque modo inuocandus est: Et

In propo. Phi. Tom. 4. op. 598. & in exordio enarr. Epist. ad Colos.

cum Patre & Spiritu sancto vt Deus dator bonorum: & vt Mediator missus ac intercedens. Idque seruamus in forma vsitata: Omnipotens Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, creator cum Filio & Spiritu sancto, sapiens, verax, bone, misericors, miserere mei propter Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, quem voluisti esse pro nobis victimam, μεσίτην καὶ ἱκέτην, & iustifica me propter eum, & per eum, & sanctifica me Spiritu sancto tuo, &c. Sic ipse dicit: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, me nominato, credentes vos propter me exaudiri, &c. Certè vult agnosci & inuocari etiam, vt Sacerdos & assiduus deprecator pro nobis, & nominatim hoc dici, Da Deus propter Filium. Sic & Daniel precatur: Exaudi nos Deus, non propter iustitiam nostram, sed per misericordiam propter Dominum.

FAllacia est à non causa vt causa. Vt enim agnitio Christi consistit in agnitione Personæ & officij ipsius: Sic in inuocatione vtroque modo cogitandum est de Christo. Primùm inuocandus est, vt Deus dator bonorum cum Patre ac Spiritu sancto. Deinde cogitandum est de eo tanquam de Mediatore seu intercessore. Vtrunque igitur rectè dicitur: Ah, Fili Dei, miserere mei. Item, Aeterne Deus miserere mei propter Filium. Nec pugnent hæc inter sese: Alloquimur Filiũ cum Patre & Spiritu sancto, vt sociũ cõsilij diuinitatis, sociũ creationis & verũ Deum. Et tamen propter hunc vt Mediatorem recipi nos oramus & credimus, iuxta dictum: Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Item, Hæc est vita æterna, &c. Idque significat Ecclesia cùm pleraque preces hoc fine claudit, vt petat se exaudiri propter Filium Dominum nostrum Iesum Christum.

ARGV-

ARGVMENTVM VIII.

¶ Ad Timotheum expresè dicitur: Vnus est Deus, vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.

Ergo Christus est Mediator secundum humanam naturam tantùm.

RESPONSIO.

In respon. de contr. Stancar. Tom. 1. oper. 349. a. & b. Item in enarrat. Epist. ad Timoth. Tom 4. oper. 581.

Dictum in epistola ad Timotheum non excludit diuinam naturam, quia nominat Personam: Vnus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Est autem Christus nomen Personæ, in qua sunt duæ naturæ, quasi dicat: Hic homo Christus est Mediator, non alij homines, Abraham & Moses, de quo etiam scriptum est Deut. 5. Ego steti inter Deum & vos. Sed hic vnicus Filius Dei est Mediator, quia hic assumta natura humana est propiciator. Non igitur inde sequitur solam naturam humanam Mediatricem esse. Ideo & enarrationes veterum monent non excludi naturam diuinam. Ac miror quas causas esse cogitent, cur duæ naturæ vnitæ sint, qui solam humanam naturam contendunt esse Mediatricem & Redemtricem. Certè non frustra facta est hæc copulatio: nec frustra dictum est: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium vnigenitum daret. Item, Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.

MOta est hæc controuersia de Mediatore nostris temporibus à Francisco Stancaro Mantuano Italo: etsi olim quoque in Ecclesia veteri agitatam fuisse apparet. Nam & Nestorius contendit intercessionem, humiliationem, obedientiam, meritum & totum officium Mediatoris pertinere ad humanam na-

turam tantùm: cui tamen λόγον adfuisse dixit societate seu per assistentiam, vt sustinere illa, humana natura posset: verùm Stancarus, excitatis rursum ante annos non multos Arianis certaminibus, cùm his sese opponere velle, & Personam Mediatoris duarum essse naturarum fateri videretur: quia tamen ex Magistro suo sententiarum hauserat, Christum Mediatorem esse tantùm secundum humanam naturam: eam sententiam in refellendis nouis Arianis ita postea defendit atque propugnauit, vt dum Arianos, quemadmodum aiebat, impugnaret, ea tamen scriberet ac doceret, ex quibus plerique existimarunt, ipsum veteres Sabellij & Nestorij errores fouere. Quod autem ad Pauli locum attinet 1. Timot. 2. nequaquam ille vel Arrianis vel Stancaro patrocinatur. Nam Paulus hîc discernit diuinitatem mittentem à persona missa: & in hac simul comprehendit vtramque naturam. Ideo inquit: Vnus est Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui semetipsum dedit redemtionem pro omnibus. Hîc certum est Paulum non excludere Filium à diuinitate: sed describere officium Mediatoris, per quẽ aditum habemus ad Deum. Hunc disertè nominat hominem, non vt excludat naturam diuinam ab officio Mediatoris, cùm 2. Corint. 5. de Mediatoris officio & de reconciliatione loquens clare dicat: Deus erat in Christo, mundum sibi reconcilians. Item Coloss. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Sed ideo hoc Epitheton addit, vt occurrens nostræ infirmitati, Filium Dei, qui assumta humana natura est Propiciator, tanquam fratrem nostrum familiariter nobis proponat, & quasi vnum ex nobis in medio statuat, atque ita præcidat occasiones anxiè dubitandi, vbinam quærendus sit ille Mediator, aut qua via nobis ad ipsum perueniendum sit. Nec appellatio hominis Christi ad naturam humanam tantùm, sed ad totam Personam referenda est, quæ est Deus & homo.

ARGV-

ARGVMENTVM IX.

¶ In Longobardo distinctione 19. lib. 3. citatur dictum ex Augustino, quod ait, Christum esse Mediatorem secundum humanitatem, non secundum diuinitatem.

Ergo non rectè reprehenduntur, qui nunc quoque vtuntur hac forma: Quòd Christus sit Mediator tantùm secundum humanam naturam.

RESPONSIO.

Dictum quod in Longobardo citatur, mutilatum est, & insufficiens, quia tantùm de passione loquitur, non de victoria, nec de intercessione perpetua quæ fit coram Patre, nec de perpetua conseruatione Ecclesiæ. Præterea eodem in loco pugnantia mox citantur, vnde nata est ociosa distinctio de medio & Mediatore. Fatentur Christum secundum vtranque naturam esse medium. Sed Mediatorem secundum humanam. Rectius Irenæus libro tertio inquit: Oportebat Mediatorem Dei & hominum, per suam ad vtrosque cognationem, in amicitiam & concordiam vtrosque reducere, & facere, vt Deus reciperet hominem, & homo restitueretur Deo. Qua enim ratione filij adoptionis esse possemus, nisi per Filium, & nisi Verbum caro factum esset, & nostræ naturæ sociatum esset? Dicit in Mediatore duas esse naturas, quia nos non possemus esse filij adoptionis, nisi is qui natura Filius est, assumsisset nostræ naturæ massam. Sic Chrysostomus ait: Nec homo tantùm esse Mediator potuisset, quia cum Deo Mediato-

In respon. de contr. Stancar. Tom. 1. oper. 346.

rem colloqui oportebat. Et Vigilius sic ait: Talis hostia requirebatur, quæ ita media esset inter Deum & homines, vt & morti succumberet per illud, quod hominis habebat, & mortem vinceret, eò quòd diuinitatem in se tenebat,

Cyrilli longa est commemoratio in Thesauri libro 12. Mediator Dei & hominum Iesus Christus est, non solùm quia reconciliauit homines Deo, sed etiam quia naturaliter & substantialiter, & Deus & homo est in vna hypostasi. Item, Est autem Christus Mediator Dei & hominum, quia in eo vno, Deus & homo coniunguntur. Ambrosius: Vt Mediator Dei & hominum esset, homo Christus Iesus, non sine diuinitate, quia in Deo homo erat, & Deus in homine, vt ex vtroque esset Mediator. Sic Epiphanius & Hieronymus loquuntur. His antiquis testimonijs non est anteferendum mutilatum dictum in Longobardo.

REgula vtilis in docendo traditur: oportet pauciora intelligi secundum plura. Etsi igitur sententia in Longobardo Christum dicit Mediatorem esse, tantùm secundum humanam naturam: tamen huic mutilatæ sententiæ anteferenda sunt tot illustria ac perspicua testimonia orthodoxæ vetustatis, quæ nomen Mediatoris rectè tribuunt secundum vtranque naturam, præsertim cùm dictum in Longobardo non de toto officio Mediatoris loquatur, sed de passione tantùm ac morte. Nam alioqui fatetur Longobardus ipse, Christum Redemtorem dici secundum vtranque naturam. Redemtor est, inquit, in quantùm Deus, potestatis vsu: in quantum homo, humiliationis effectu.

ARGV.

ARGVMENTVM X.

¶ Pati & mori sunt proprietates naturæ humanæ tantùm.

Hæc nomina Mediator, Rex, Sacerdos, tantùm competunt naturæ patienti & morienti, quia principale & summum Mediatoris officium, propter quod cætera omnia sunt efficacia, est fieri victimam.

Ergo hæc nomina officij tantùm sunt propria naturæ humanæ.

RESPONDEO.

Appellatio Mediatoris, item Regis, Sacerdotis, &c. non tantùm de natura patiente & moriente intelligenda est, sed de Persona placante, victrice, exaudiente, exhibente promissiones noui Testamenti. sicut de se Pastore inquit Dominus: Ego pono animam meam pro ouibus meis. Item, Ego vitam æternam do eis. Et promissio inquit, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Ergo hæc Persona est victrix, nec tantùm saluat merito, quia moritur, sed saluat efficacia, quia vincit mortem in suo corpore & in nobis, & restituit iustitiam & vitam æternam.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 223. In respon. ad contr. Stanear. Tom. 1. oper. 347. a, & b.

IN hoc argumento neganda est Minor. Quia nomina officij non competunt tantùm naturæ patienti, sed Personæ toti, & patienti & placanti iram Dei. Simul etiam complectuntur meritum & efficaciam. Est igitur Christus Mediator, Redemtor, Saluator, secundum vtranque naturam: quia vnaquæque natura confert hoc quod suum est. Humana natura moritur. Hoc enim propriè competit naturæ humanæ. Diuina

non tantum sustentat naturam humanam in morte, ne prorsus intereat, sed etiam vult hanc obedientiam in natura assumta, & vincit mortem, & non solum suæ massæ, sed etiam nobis, propter quos homo factus est, restituit vitam æternam. Ideo Paulus Rom. 4. inquit: Christus mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustitiam nostram. Hîc vtrunque coniungit, mori & resurgere, vt ostendat ad officium Redemtoris pertinere non tantùm meritum in passione, sed etiam victoriam aduersus regnum peccati & mortis.

ARGVMENTVM XI.

¶ Nemo est deprecator apud se ipsum. Item, Nemo est Mediator sui ipsius, quia Mediator agit inter duos discordes, & partem offendentem placat seu reconciliat parti offensæ.

Iam si Christus esset Mediator secundum naturam diuinam, esset Mediator sui ipsius, quia ὁ λόγος est natura Deus, apud quem fit intercessio, & simul est pars læsa, quia homo peccauit in totam diuinitatem.

Est igitur Christus Mediator tantùm secundum humanam naturam.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 224. Item, In

Plana & perspicua est hæc responsio: Nemo est Mediator sui ipsius. Item, Nemo est deprecator apud seipsum. Hæc vera sunt eodem respectu, & vbi vnica Persona est. Sed hîc plures personæ sunt, & discrimen inter mitten-

mittentem diuinitatem, & Filium missum. Filius in quantum est missus, est Mediator & deprecator omnibus temporibus pro patribus & pro nobis, sicut Daniel inquit: In tempore stabit Princeps magnus Michael pro filijs populi tui, &c.

respon. de controu. Stancar. Tom. 1. oper. 384. a.

FAllacia est à dicto secundum quid. Filius dupliciter consideratur: Primùm tanquam pars offensa, & vt Persona, quæ cum Patre & Spiritu sancto facit decretum de missione. Deinde consideratur tanquam Mediator, id est, in quantum Persona missa seu ordinata in arcano consilio diuinitatis ad reconciliandum genus humanum. Hoc respectu rectè dicitur intercedere pro nobis apud diuinitatem mittentem. Nec tamen sequitur esse duos Filios aut duos Christos, vt Stancarus vociferatur. Quia vni sæpe adhærent diuersi respectus. Fortassis autem & hæc obiectio ex Longobardo sumta est, qui distinct. 19. lib. 3. inquit: Christus in quantum Deus, non Mediator, sed æqualis Patri est: Hoc idem quod Pater, cum Patre Deus. Mediat ergo inter homines & Deum trinitatem, secundum hominis naturam, in qua suscepit illa, per quæ reconciliamur Deo.

ARGVMENTVM XII.

¶ Nullus sacerdos offert sibi ipsi sacrificium propiciatorium.

Si autem Christus esset Sacerdos etiam secundum diuinam naturam, offerret sibi ipsi sacrificium: quia ὁ λόγος est natura Deus, apud quem placatio seu propiciatio fieri debet.

Ergo non est Sacerdos secundum diuinam naturam.

RESPONSIO.

In respon. adcontr. Stancar. Tom. 1. oper. 348. b.

Hanc obiectionem Nestorij, Cyrillus recitat prorsus similem priori obiectioni. Sed respondeo, officium esse Personæ. Hæc missa Persona est Mediatrix apud mittentem diuinitatem, & tamen verum est, Filium esse ὁμούσιον æterno Patri, & æqualem potentia. Sed manet Personarum distinctio: Filius assumsit humanam naturam, non Pater. Filius perfectè nouit & honorat Patrem, & liberrima voluntate vult obedientiam, & congruunt voluntates diuina & humana in deprecatione: Sicut in Iohanne dicitur in precatione ante agonem: Sit in eis dilectio tua, qua me diligis.

IN Græcorum recentioribus historijs, vt in annalibus Nicetæ scribitur, sub Manuele Comneno Imperatore Constantinopolitano, de hac sententia disceptatum fuisse, qua dicitur, Deum, qui carnem assumsit, offerre & simul sacrificia suscipere, τὸν σεσαρκωμένον θεὸν προσφέρειν καὶ ὁμοῦ προσδέχεσθαι. Etsi autem quæstionis huius explicatio ibi disertè non ponitur, & aliqui ad oblationem, quæ fit in missa pertinere disputationem illam putent: tamen æstimari potest, veterem illam Nestorij obiectionem esse, quam Stancarus nostris temporibus in theatrum reduxit. Hoc enim obijcitur: Quomodo Filius Dei potuerit esse victima pro nostri reconciliatione, cùm ipse sit Deus, qui victimã suscipere, atque placari ea debuerit? Respondendum est autem ad hanc obiectionem vt antea: Christus offert sacrificium Deo, non in quantum Persona placanda vna cum Patre & Spiritu sancto, sed in quantum est persona missa. Quo respectu apud mittentem diuinitatem nos precibus & sacrificio suo reconciliauit.

ARGVMENTVM XIII.

¶ Christus secundum humanam naturam fuit

fuit iustus innocens, & sine omni peccato, iuxta dicta: Eum qui non nouit peccatum, fecit pro nobis peccatum, 2. Cor. 5. Et, Non est inuentus in ore eius dolus. Esaiæ 53. Item, Quod ex te nascetur sanctum vocabitur.

Ergo potuit satisfacere iræ Dei, & esse Mediator secundum solã naturã humanam.

RESPONSIO.

In enarra. Epist. ad Roman. Tom. 4. oper. 88. Item in enarrat. prioris ad Timoth. Ibid. 384.

Cogitandæ sunt causæ, quare Filius missus sit, et quare copulatæ sint in Messia, natura diuina & humana, & quod Messias non tantùm sit victima, sed quod Filius missus sit ab initio, vt Ecclesiam colligat, & in ea sit efficax, sicut inquit: Ego vitam æternam do eis: Item, Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui Filius volet reuelare. Sint autem in conspectu causæ copulationis diuina & humanæ naturæ.

1. Nisi factum esset decretũ, vt Filius assumeret massam generis humani, tota natura humana mox funditus deleta esset. Seruata est autem, vt hic Filius nasceretur, & deinde inserti ei credentes rursus per eum vitificarentur.

2. Cùm genus humanum peccauerit, congruebat, vt pœnam lueret aliquis in genere humano. Ideo Filius intercessor assumsit humanam naturam, vt Psalmo secundo dicitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.

3. Nullius creaturæ robur tantum est, vt sustinere tantam iram potuerit, ideo hic Redemtor Deus est.

4. Vt precium esset æquale, Redemtor est Deus, ideo cogitandum est, meritum Filij Dei Mediatoris in infinitum longè antecellere omnibus omnium peccatis.

5. Creatura non est viuificatrix, sed vt Iohannis 1. scriptum est: In ipso erat vita, ideo hic Redemptor est omnipotens, vt vincat mortem, & restituat humanæ naturæ vitam: sicut initio in creatione λόγος immediatè fuit viuificator, ita & nunc est viuificator.

6, Hic Mediator assiduè interpellat pro Ecclesia, Filius autem videt arcanum pectus Patris, sicut inquit: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius volet reuelare.

7. Hic Saluator assiduè adest Ecclesiæ, exaudit eam, seruat, protegit, reddit vitam æternam, sicut inquit: Ego vitam æternam do eis. Ego sum vitis, vos palmites, sine me nihil potestis facere. Item, Sedet ad dextram æterni Patris, dans dona hominibus. Hæc autem sunt propriè omnipotentis naturæ. Hæc attentè consideranda sunt in quotidiana inuocatione.

FAllacia est à non causa, vt causa. Etsi enim summa est naturæ assumtæ innocentia & puritas, & ordo iustitiæ diuinæ postulabat, vt homo pœnas sustineret, quia genus humanum peccauerat: tamen sola humana natura non est Mediatrix: quia sola nec videre nec sustinere iræ diuinæ magnitudinem, nec precium æquiualens seu compensatio sufficiens esse poterat pro offensione infinita: Nec humana natura sola mortem vincere, & iustitiam ac vitam æternam reddere, nec in arcanum consilium æterni Patris ingredi, & assiduè pro genere humano intercedere, videre & iudicare corda, & inde vsque ab initio Ecclesiam ex genere humano colligere, opitulari & sanctificare potuit. Ideo Mediatorem illum non tantùm hominem, sed etiam Deum esse congruebat.

ARGV-

ARGVMENTVM XIIII.

¶ Intellectus veræ doctrinæ de officio Christi Mediatoris & Redemtoris, sumendus est ex verbis promissionum, quæ traditæ sunt de restitutione generis humani.

Omnes promissiones loquuntur de Christo homine: vt, Semen mulieris conculcabit caput serpentis. In semine tuo benedicētur omnes gentes. Ponam super sedem tuam de fructu ventris tui, &c.

Ergo Christus est Mediator & Redemtor secundum naturam humanam tantùm.

RESPONSIO.

Veteres promissiones manifestè comprehendunt naturam vtramque: Semen mulieris conteret caput serpentis. Item: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et Ierem. cap. 23. dicitur: Suscitabo germen Dauidi, & regnabit Rex. Et hoc est nomen, quo vocabunt eum, Iehoua, iustitia nostra. Hæc neque de sola natura humana intelligi possunt, neque sic accipi possunt, quasi λόγος nihil agat apud Patrem pro nobis, aut nihil agat nobiscum. Deinde Iohan. 3. capit. dicitur: Sic Deus dilexit mundum, &c. Et in Symbolo sic dicitur: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Iam si tantùm natura humana est Redemtrix, quare dicitur Filius discendisse de cælis propter nostram salutem? Præterea Epistola ad Hebræos promiscuè vtitur his vocabulis de Messia: Mediator noui Testamenti, & summus Sacerdos, quem quidem &

In respon. ad contr. Stancar. Tom. 1. oper. 347. b.

2.

3.

Filium disertè nominat. Ostendunt autem officia summi Sacerdotis & Mediatoris noui Testamenti, non tantùm intelligi naturam humanam, sed Personam quæ est Deus & homo, habentem actiones in vtraque natura. Est enim summus Sacerdos noui Testamenti, Persona immediatè missa à Deo ad patefactionem Euangelij, ad placandam iram Dei suo sacrificio, & ad precandum pro nobis, habens testimonium quòd exaudiatur, per quam & exhibentur bona promissa in nouo Testamento, huius descriptionis membra recitari & declarari in epistola ad Hebræos, agnoscit pius lector. Et hæc congruunt ad appellationem Mediatoris.

Ibidem 848. 2. *Dicit autem epistola ad Hebræos, personam missam ad Sacerdotium, esse hunc Filium, de quo inquit æternus Pater, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic igitur Filius inde vsque ab initio ad Ecclesiam missus, quid agit? Docet, orat pro Ecclesia, viuificat dato Spiritu sancto credentes, exaudit inuocantes, protegit & seruat eos, sicut de precatione expressè scriptum est Psalm. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem. Ideo recipit nos diuinitas, quia hic Filius est deprecator inde vsque ab initio.*

4. *Quartò huius Mediatoris proprietas est videre corda inuocantium, discernere veram inuocationem & hypocrisin, exaudire inuocantes, & ingredi in consilium arcanum æterni Patris, id est, videre voluntatem æterni Patris, & pro nobis deprecari. Hæc propriè sunt naturæ omnipotentis.*

5. Ibidem 848. b. *Quintò, Mediator, Rex, Saluator, non tantùm intelliguntur de natura patiente & moriente, sed de persona victrice, vt Matth. cap. 1. Paries Filium, & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluabit populum suum à peccatis suis. Saluabit non tantùm*

merito in passione, sed etiam efficacia. Et de rege manifestissimum est, comprehendi vtramque naturam, vt Psalm. 2. Ego constitui regem meum super Sion. Ego hodie genui te, Et Regis proprietas est vincere. Agnoscamus igitur Mediatorem, Redemtorem, Saluatorem, Regem & Sacerdotem hunc Christum Deum & hominem, & gratias agamus Deo pro hoc immenso beneficio, quòd Filium voluit assumere humanam naturam, & hunc Filium, Deum & hominem, voluit esse Redemtorem & Saluatorem & caput Ecclesiæ, quod omnia perficit.

VEra est propositio: Promissiones loquuntur de Christo homine, quia appellatio Christi hominis est concretum significans Personam, in qua agnoscendæ sunt naturæ duæ, diuina & humana. Sed hinc non rectè infertur conclusio. Ergo Christus est Mediator tantùm secundum humanam naturam, quia fiunt quatuor termini. Et plus est in conclusione quàm fuit in præmissis rectè intellectis. Aliud est enim dicere de Christo homine, vbi significatur Persona, quæ est Deus & homo: quàm cùm de natura humana tantùm, restrictio additur, quæ in nominibus officij locum habere non potest. Quia ad officium huius Personæ actiones plures, & quidem dissimiles pertinent, quarum aliæ fiunt immediatè naturæ diuinæ, aliæ humanæ. Huius nostræ fidei testimonia sunt manifesta. Primum collatio membrorū in promissionibus diuinis, quæ non tantùm de passione loquuntur, sed etiam de victoria aduersus regnum peccati & mortis. Vnde necessario sequitur: In promissionibus illis subiectum non de vna tantum natura loqui, sed complecti Personam seu totum agens. Sicut luculentè primam promissionem enarrat Iohannes Apostolus: Semen mulieris conteret caput serpentis, id est, Filius Dei apparuit vt destruat opera diaboli. Alterum Argumentum su- 2.

mitur ex dictis, quæ loquuntur expresè de missione Filij Dei, quam absurdissimum est ad naturam humanam tantùm restringere, vt cùm dicitur: Filius Dei descendit propter nos. Item, Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.

3. Tertium argumentum summam totius Epistolæ ad Hebræos continet. Ibi enim Filius Dei æternus, nominatur & Sacerdos & Mediator noui Testamenti, & describuntur officia summi Sacerdotis, quæ non possunt tantùm ad naturam humanam referri.

4. Quartum argumentum sumitur à proprietate Mediatoris deprecantis pro hominibus. Hoc argumentum erit illustrius, si considerentur cæteræ causæ, propter quas Mediatorem cõgruebat non tantùm hominem sed etiam Deum esse. Quæ causæ nullius essent momenti, si officium Mediatoris Christo competeret tantùm secun-

5. dum humanam naturam. Postremum argumentum partes officij Christi complectitur, videlicet meritum & efficaciam, & ad descriptionem regis alludit, quæ in Psal. passim sic proponitur, vt comprehendat simul naturam diuinam Messiæ.

ARGVMENTVM XV.

¶ Opera trinitatis ad extra sunt indiuisa.

Ergo victoria & saluatio est Patris, Filij, & Spiritus sancti: ac tantùm passio est Christi propria.

RESPONSIO.

In respon. de contr. Stanckar. Tom. 1. o-per. 348. b. & 349.

De regula Augustini supra quoque tradita est responsio: Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa, seruata cuiusque Personæ proprietate. Filius assumsit humanam naturam, non alia persona: Filius & Spiritus sanctus

ctus mittuntur. Ait Filius non à se, sed per se, vt inquit Augustinus: Saluat & viuificat Pater, sed hoc ordine per Filium, vt Paulus inquit: Deo gratia, danti nobis victoriam per Dominum Iesum Christum. Et Filius inquit: Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio. Quod manifestum est, sic accipiendum esse, Patrem iudicare non solum, sed per Filium iudicare, et patefacere iudicium. Per Filium patefit Euangelium, seruatur ministerium, datur Spiritus sanctus, Ephes. 4. Ac dicitur Ecclesia regnum Christi, quia verbo colligitur inde vsque ab Adam per Filium. Postea inquit Paulus: Tradet regnum Deo Patri, id est, nunc per Verbum cernimus Patrem. Postea diuinitas coràm conspicietur, & regnabit non ministerio Euangelij, sed immediatè. Vetustas causas quæsiuit, quare Saluator sit Deus & homo. Hæ causæ nihil sunt apud illos, qui dicunt Saluationem eodem modo esse Patris, Filij & Spiritus sancti. Cùm promissio expresè dicat: Semen mulieris conteret caput serpentis.

Apparet hoc etiam argumentum sumtum esse ex Longobardo. Sic enim inquit in libro 3. dist. 19. Reconciliauit nos tota Trinitas virtutis vsu scilicet dum peccata delet, sed Filius solus impletione obedientiæ, in quo patrata sunt secundum naturam humanam, per quam iustificamur. Sed quanquam victoria contra regnum peccati & saluatio hominum commune opus est totius diuinitatis: tamen hic ordo considerandus est, videlicet quòd immediatè perficiat hæc diuinitas per Filium, tanquam per Personam missam, cum Filius & ab initio ad genus humanum missus sit, & solus humanam naturam assumat, non Pater, nec Spiritus sanctus, & meritum ipsius Filij proprium sit, propter quod recipimur à tota diuinitate.

ARGVMENTVM XVI.

¶ Quod finem certum habiturum est, id non rectè dicitur æternum.

Regnum Christi habebit finem post vniuersalem resurrectionem mortuorum, iuxta Pauli dictum: Tunc tradet regnum Deo Patri.

Ergo regnum Christi non est æternum.

RESPONSIO.

In enarra. 1. Cor. 15. Tom. 4. opc. 296. In enarra. epist. ad Rom. ibi, 201.

Mirum videri potest, quare Paulus ita loquatur: Tradet regnum Patri: cùm tamen toties dicatur: Regnum Christi esse regnum æternum, vt Luc. 1. dicitur: Et regni eius non erit finis. Sic autem hæc declaro. Regnum Patris nominat illum statum, in quo, iam completo toto opere Christi Mediatoris, post resuscitationem, coràm videbimus diuinitatem immediatè, & diuinitas nobis immediatè communicabit suam lucem, sapientiam, iustitiam, & lætitiam æternam. Antequam ad hunc statum perueniat Ecclesia, adhuc Christus Mediator Deus & homo exercet certa opera, necessaria ad consummationem Ecclesiæ, quia semper Mediatoris propria opera hæc sunt: esse summum sacerdotem, deprecari pro Ecclesia, conseruare ministerium Euangelij: dare Spiritum sanctum, colligere Ecclesiam per Euangelium, & simul in accipientibus Euangelium. esse efficacem dando Spiritum sanctum, imputando illis suam iustitiam, & obumbrando eos: Item eripiendo credentes ex æterna morte: Item depellendo diabolos, resuscitando mortuos. Hæc fiunt immediatè per hunc Mediatorem Filium. Etiamsi simul sunt efficaces Pater, Filius & Spiritus sanctus, tamẽ actio immediata est huius Mediatoris, cui Pater hoc tale regnum tradidit, vt per ipsum immediatè sic colligatur & saluetur Ecclesia, & adducatur ad Deum, cuius luce postea immediatè coràm fruatur. Has actiones habet rex Christus donec adducet resuscitatam Ecclesiam ad Patrem, id est, donec diuinitas immediatè se ostendet Ecclesiæ. Tunc offeret regnum Patri, id est, ostendet has actiones completas esse. Et deinde simul regnabit vt Deus, immediatè diuinitatem nobis ostendens, non habens iam actiones deprecatoris, aut colligentis Ecclesiam per ministerium.

IN minore est fallacia à dicto secundum quid. Nam Christum regnum suum tradere Patri, non est simpliciter desinere aut cessare à regnando, vt Ariani falsò hinc colligebant: Sed est Ecclesiam in hac vita collectam per ministerium Euangelij, adducere in conspectum Patris, vt postea tota diuinitas regnet, & sese communicet beatis immediatè sine ministerio. Discernit igitur Paulus hoc dicto modos diuersos, videlicet, quomodo in hac vita regnet Filius Dei, & quomodo tota diuinitas efficax sit futura in electis in altera vita. Modus in hac vita est propriè missum esse Filium ab initio ad genus humanum, vt proferat Euangelium ex sinu æterni Patris, & per ministerium colligere Ecclesiam omnibus temporibus mundi, & liberare credentes à peccato & morte æterna, & sanctificare eos dato Spiritu sancto, vt sint æterna ipsius hæreditas, & mirabiliter Ecclesiam & pios singulos defendere ac regere in hac vita, vt verè inuocent, & agnoscant exaudiri preces, & resuscitare ex morte ad vitam & gloriam sempiternam Hæ actiones pertinent ad regnum Christi in hac vita. Quia etsi simul regnant & efficaces sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus: tamen tota collectio Ecclesiæ in hac vita est immediatè opus Filij qui & protulit Euangelium, & per illud est

efficax in credentibus. Nondum autem conſpicitur palàm eſſentia diuinitatis, ſed apprehẽditur Deus verbo. At poſt hanc vitam tota diuinitas regnabit immediatè, id eſt, ceſſante miniſterio, & completis illis actionibus Chriſti regis, quæ ad collectionem Eccleſiæ in hac vita pertinent: coràm ſe æternus Pater, Filius & Spiritus ſanctus oſtendẽt electis, & erit Deus omnia in omnibus.

ARGVMENTVM XVII.

¶ Non ſolum Chriſtus: ſed & cæteri doctores in Eccleſia nominantur paſtores populi Dei.

Non igitur præſtantius munus ſeu officium fuit Chriſti, quàm Prophetarum, Apoſtolorum, & reliquorum doctorum Eccleſiæ.

RESPONSIO.

In enarra. Euangel. Domin. 2. poſt Paſc. Tom. 3. o per. 70. Item 743.

Etiam gubernatores politici, ſi qui boni ſunt, rectè nominantur Paſtores. Et in Eccleſia verum eſt, non tantùm Chriſto, ſed etiam cæteris doctoribus, vt Ieremiæ, Paulo, tribui eandem appellationem. Sed diſcrimen cogitandum eſt. Bonus princeps regit externam diſciplinam ſuis conſilijs ac legibus, & præliatur cùm opus eſt. Hæc officia tantùm ſeruiunt præſenti mortali vitæ, nec adferunt vitam æternam, nec mutant mentes.

Paulus impertit Euangelium, per quod Deus inchoat vitam æternam in mentibus. Sed tamen Paulus tantùm docet: non eſt victima pro peccato, non eſt Mediator, propter quem Deus nos recipit, nec eſt is qui dat Spiritum ſanctum & reddit vitam æternam. Longè autem maius munus eſt paſtoris Chriſti. Is non ſolùm docet Euangelium, ſed etiam eſt victima pro noſtris peccatis: Eſt Mediator propter quem æternus Pater nos recipit: Et ipſe donat Spiritum ſanctum credentibus, & inchoat in eis vitam æternam: Adeſt Eccleſiæ & defendit eam mirabiliter, & reſuſcitabit mortuos.

Quare alio modo intelligatur Paſtor quàm cæteri boni principes, Prophetæ, aut Apoſtoli. Sunt paſſim ſapientes ignari Euangelij. Sicut Mahometus & alij multi de Chriſto cogitantes, imaginantur eum fuiſſe doctorem, quales multi fuerunt, vt Socrates, Solon & alij legum latores. Fingunt eum dediſſe legem, ſed propria & præcipua eius officia ignorant. Hæ tenebræ acerrimè taxandæ ſunt, & in Eccleſia illuſtrandum eſt diſcrimen Legis & Euangelij. Sunt & perſonæ diſcernendæ Prophetarum, Apoſtolorum, & Chriſti.

DIligentiſſimè diſcernendi ſunt omnes Prophetæ, Apoſtoli, & alij miniſtri, à Chriſto Filio Dei. Quanquam enim boni paſtores ſunt Prophetæ & Apoſtoli à Deo miſſi, & omnes ritè vocati, & rectè & conſtanter facientes officium ſuum: tamen longè infra Chriſtum collocandi ſunt. Quia & perſonæ, & gradus beneficiorum ſunt diſſimiles. Nàm Chriſtus non ſolùm homo eſt, ſed etiam Deus, & ipſe eſt rex & caput Eccleſiæ. Cæteri ſunt tantum homines mortales, & miniſtri Chriſti. Deinde Chriſtus non modo eſt paſtor, eò quòd doceat vt cæteri, & externo miniſterio fungatur, ſed etiam eſt paſtor, quia per ipſum ex ſinu Patris prolata eſt promiſſio gratiæ & tradita Prophetis & Apoſtolis. Ipſe eſt victima pro nobis placans iram Dei, ipſe eſt dator iuſtitiæ & vitæ æternæ. Denique ipſe eſt cuſtos perpetuus Eccleſiæ & ſingulorum piorum, ſua potentia reprimens Diabolum, & fina-

liter tandem liberans suos. Rursus igitur incurrit argumentum in fallaciam à dicto secundum quid.

ARGVMENTVM XVIII.

¶ Christus Matth. 16. Discipulis suis interdicit, ne cuiquam dicant quòd ipse sit Iesus Christus.

Non est igitur agnitio Christi necessaria ad salutem omnibus hominibns.

RESPONSIO.

In enarra. Matt. To. 3. op. 492.

Textus Matth. 16. simpliciter hoc vult, quòd prohibuerit indicari suam personam, videlicet ne caperetur. Sic enim Euangelista ibi scribit: Tunc præcepit eis, vt nemini dicerent quòd ipse esset Iesus Christus: Et ex eo tempore cœpit Iesus indicare Discipulis suis, quòd oporteret se abire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & principibus. Sed si voluit hoc quoque Christus, ne spargeretur fama quòd esset Messias, fecit hoc ideo, quia tolerat in Ecclesia ad tempus multas ignorantias. Hoc necesse fuit sciri, quòd propter Messiam habeant homines reconciliationem. Sed de sua persona adhuc tolerat ignorantiam in multis, qui alioqui fuissent offensi hac humili specie. Sed post resurrectionem voluit expresse omnibus prædicari etiam de sua persona se Messiam esse, &c.

MIrum videri potest, quòd cùm paulò ante Petrum beatum dixisset Christus, propter confessionem fidei, quam omnium Apostolorum nomine recitauerat: de persona & officio Christi: Tu es Christus Filius Dei viui: & confessionem affirmarit fundamentum esse Ecclesiæ: mox tamen edicat, ne publicè spargatur à discipulis, hoc ipsum quod tanta cum ipsius approbatione confessi erant. Primùm autem circumstantia temporis, deinde & causæ cogitandæ sunt, ne absurda videatur prohibitio. Non igitur in vniuersum, aut semper occultare hanc confessionem discipulos iubet, sed mandatum temporale est, cui finem attulit resuscitatio Christi ex morte, postquam inter omnes gentes, se & beneficia sua annuntiari ab Apostolis voluit.

Nec verò, quòd aut falsum esset illud quod Petrus suo & collegarum suorum nomine confessus erat, aut quòd cognitio huius veritatis ad salutem non esset necessaria, promulgare hoc discipulos vetat, quod erant confessi: sed præter eas causas, quæ in solutione huius argumenti recitantur, sumtas partim à persona Christi tunc periclitante inter Iudæos, partim ab auditorum conditione, qui scandalo infirmitatis præsentis à Christo tùm adhorrebant: etiam discipulorum suorum rationem habuisse videtur. Nam etsi illum mundi seruatorem esse agnoscerent, magna tamen erat fidei ipsorum infirmitas atque imperfectio, cùm & regnum terrenum in illo somniarent, & redemtionis humanæ modum nondum intelligerent, neque etiam Spiritus sancti donis adhuc satis essent instructi. Ad tempus ergo illos silere voluit, ne seipsos & fidei doctrinam aduersariorum ludibrijs exponerent, & vt ipsi interea in fide magis confirmarentur, In argumento igitur duplex fallacia est: Primùm à dicto secundum quid. Deinde

à non causa vt causa.

DE PASSIONE ET RESVRRECTIONE CHRISTI.

ARGVMENTVM I.

¶ Prophetæ passim concionantur de Messia gloriosè regnante.

Non igitur immeritò offenduntur Iudæi passione Domini nostri Iesu Christi, quem nos Christiani fatemur Messiam esse.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 225.

VTrumque Prophetæ ostendunt, eundem Messiam predicaturum, passurum, moriturum, resurrecturum, regnaturum & collecturum esse Ecclesiam, & ei redditurum esse iustitiam & vitam æternam. Hîc etsi Iudæi offenduntur, nec volunt agnoscere Messiam qui sit passus & mortuus: tamen nos sciamus in vaticinijs Prophetarum, alia dicta loqui de regnante Christo, alia de humiliato & patiente, Exemplum insigne est in Psal. 110. qui initio splendidè concionatur de regno Messiæ: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Hîc promittitur regnum, quòd videlicet Christus regnaturus sit diuina potentia. Sed in fine eiusdem Psalmi describit Propheta passionem & omnes afflictiones Christi cùm ait: De torrente in via bibet. Hic versus additus est, ne superior descriptio de regno corporali, Iudaico more

In enarra. Psal. 110. Tom. 2. oper. 741.

more intelligeretur: sed significaretur, Christum passurum & morituru esse, & non habituru mundanum imperium, sed futurum in summis calamitatibus & ærumnis, vt fiat hostia seu victima. Nam victimarum mactatio à principio mundi significauerat, redemtorem promissum etiam futurum victimam & morituru. Quia Deus voluit non aliter aboleri peccatum & mortem, nisi morte Filij sui. Ideo etiam Ecclesia, vt repræsentet imaginem Filij Dei, subiecta est semper omnibus summis calamitatibus generis humani, vt & Christi exemplum referat, & vt agnoscamus peccatum, cùm ita in nobis mortificatur.

Additur autem in eodem versu, qui Psal. 110. concludit, altera sententia de glorificatione. Propterea exaltabit caput, hoc est, hoc modo glorificabitur, postquam fuerit humiliatus & factus victima, sicut Dominus ait Luc. vltimo: Nonne oportuit hæc pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Item Actorum tertio & septimo: Christum oportuit pati & resurgere à mortuis. Et Heb. 5. luculenta concio est, quòd oportuerit passionem præcedere, cùm ait textus: Christus non semetipsum glorificauit, sed qui locutus est ad eum, &c. Deinde addit de precibus offerens cum clamore valido, & lacrymis, exauditus est propter suam reuerentiam, id est, quia Christus obediuit Patri, exauditus & glorificatus est. Et Esaiæ 53. Quia ponet animam suam pro peccato, videbit semen longæuum. Denique passim obuia sunt testimonia in Scripturis, quæ ostendunt hanc fuisse ordinationem Dei, vt Christus primùm pateretur, deinde glorificaretur, De hac ordinatione etiam hic Psalm. concionatur cum ait Christum in via passurum, deinde glorificandum esse.

Ibid. 742.

NVlla re magis offenduntur Iudæi, quàm morte & passione Christi. Somniant enim talem Messiam, qui habiturus sit regnum politicum sine cruce, & allegant vaticinia Prophetarum, qui splendide concionantur de gloria regnantis Messiæ. Sed fallacia est diuisionis. Vtrunque de Messia à Prophetis prædictum est: & quòd subiturus sit crucem: & quòd gloriosè regnaturus sit. Etsi igitur nolunt Iudæi agnoscere Christum crucifixum & resuscitatum pro nobis, tamen nos in dictis Scripturæ discernamus tempus humiliationis, & tempus glorificationis, & firma fide amplectamur Euangelium, quod affirmat ita decretũ fuisse in illo arcano consilio Dei. vt Filius certo tempore fieret victima, quo tempore præstitit hanc mirandam obedientiam æterno Patri, vt quiesceret & sineret in se effundi horrendam iram, nostra peccata punientem. De huius certi temporis obedientia loquuntur multa dicta, quæ ad suum tempus accommodata non pugnant cum alijs dictis, quæ loquuntur de potentia regnantis Christi. Ipsum etiam regnum Messiæ sciamus non corporale esse, sed spirituale. Denique & ipsam pugnantiam quæ videtur occurrere in dictis prophetarum, quorum aliqua dicunt Christum moriturum esse, reliqua verò dicunt Christum regnaturum esse perpetuò sine fine (quam nec tunc Pharisæi explicare poterant, nec nunc possunt Iudæi) scia mus conciliari per resurrectionem. Moritur Christus: sed cùm oporteat regnare natum ex semine Dauid, necesse est eum resuscitari. Regnat igitur resuscitatus in vita æterna.

ARGVMENTVM II.

¶ Beatus cùm sit in excellenti lætitia, non potest simul esse in magna consternatione.

Christus semper fuit beatus etiam ante glorificationem. Quia semper conspexit æternum Patrem.

Ergo semper fuit in excellenti lætitia. Non igitur potuit esse in eo tanta consternatio, quantam describunt Euangelistæ in historia passionis.

RESPONSIO.

De hoc argumento longæ sunt aliorum & variæ responsiones. Sed nos breuiter respondemus: Tempora discernenda esse de Christo. Aliud est tempus passionis, & huius admirandæ obedientiæ, & abiectionis seu humilitatis Christi: Aliud tempus extra passionem. Quia enim admirando consilio Dei decretum fuit, vt Filius fieret victima, necesse fuit aliquod tempus esse mactationis victimæ, Etsi igitur Christus semper fuit beatus: tamen illo tempore, quod destinatum fuit passioni, non ita fulsit beatitudo, vt extra passionem, sicut dicitur de hoc tempore Psalm. 8. Minuisti eum paulisper à Deo. Quid sit illud diminuere vel deserere, expressit Esaias, inquiens: Dominus voluit eum conterere in infirmitate. Voluntatem & decretum Dei fuisse inquit, vt à Deo ipso obrueretur tanta ira, vt esset λύτρον pro nostris peccatis, quia iustitia Dei flagitabat aliquam compensationem. Omnis enim lex vel ad obedientiam, vel ad pœnam obligat. Nec est leue quiddam conteri à Deo. Aliud est lacerari corpus ferro, aut à bestijs. Aliud & longè maius est percuti à Deo, & sentire iram Dei, hoc est, luctari cum tentatione de abiectione. Tali tempore, conspectus qui beatitudinẽ, vitam, lætitiã efficiebat, non clarè cernebatur. Idem & Irenæus eruditè dixit: Verbo quie-

In enarra. Ioh. To. 3. op. 773. Item 649.

scente passum esse Christum, vt crucifigi & mori posset, id est, Verbum tunc non exerebat potentiam suam. Sic paulisper Christus à Deo ostendente potentiam & beatitudinem desertus est, sicut & ipse clamat: Deus meus quare dereliquisti me? Loquitur de hoc tempore, & Psalm. 110. De torrente in via bibet. Tempus circumscribit hoc verbum, in via. Deinde sequitur gloriæ reuelatio: propterea exaltabit caput. Sic de tempore loquitur Christus, orans se rursus ea gloria ornari, quam habuerit ante mundi conditionem. Ioh. 17.

Hæc responsio est planior, quàm aliæ quæ à sententiarijs recitantur, quas qui requiret, legat apud ipsos. Nos de his tantis & tam arcanis rebus piè & reuerenter cogitemus, & magnitudine dolorum Christi vtcunq; considerata, agnoscamus Deum verè & horribiliter irasci peccatis, & ingentem vim esse amoris erga nos in Filio, qui pro nobis pœnam subijt, & timorem & fidem ardentibus cogitationibus excitemus.

QVinque sunt signa, quæ aliquo modo ostendunt quanta trepidatio & anxietas fuerit in CHRISTO luctante in horto Primùm quod Euangelista his tragicis verbis agonem describit: Cœpit Iesus dolere & vehementer angi animo. Alterum signum est mœstissima querela, qua vtitur ad discipulos: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Tertium. Ardentissima precatio aliquoties repetita: Pater si vis transeat à me calix iste. Quartum, Quod Angelus mittitur confirmans Christum in illa tristi lucta. Quintum, Sudor cruentus, quem describens Euangelista ait: θρόμβους, id est, guttas spissi atq; concreti sanguinis decidisse in terram, promanantes de corpore Christi. Hic verò quæri solet, cùm Christus semper viderit Patrem, & semper fuerit beatus, quomodo possit cum illa animi

animi lætitia existere tanta consternatio & tristitia? Etsi autem alij discernunt partes seu potentias in Christo, & alijs tribuunt lætitiam, alijs dolorem: tamen simplicior responsio est, si tempora discernantur. Hoc fuit tempus destinatum passioni, in quo beatitudo seu gloria non ita fulsit in Filio vt aliàs. Nunc enim quiescente natura diuina & non exerente suam potentiam, iacet humiliatus, & vt tristissima voce dicitur apud Esaiam: Percussus à Deo. Hac temporum distinctione contenti simus.

ARGVMENTVM III.

¶ Sciens euentum non potest magnopere angi de futuro exitu.

Christus sciebat euentum seu catastrophen lætissimam passionis suæ.

Ergo non potuit tantoperè angi, quasi in re dubia.

RESPONSIO.

Etiamsi scit euentum Christus: tamen simul & infirmitatem nouit, & quo maior est sapientia, eò magis intelligit, quantares sit ira Dei, & nouit eam sustineri sine diuino auxilio non posse. Ideo & auxilium & liberationem petit. Ac regula tenenda est, quòd λόγος assumserit humanam naturam integram & incorruptã, habentem omnes vires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas. Item non vitiosam, sed tamen passibilem sine peccato & mortalem. Et has infirmitates assumsit volens propter nos, vt fieret victima.

In enarra. Ioh. To. 3. op. 835.

In loc. Theol. de filio.

REsponsio ad hoc argumentum sumitur partim ex distinctione temporum, partim ex conside-

ratione illius ingentis infirmitatis naturæ humanæ quæ verè fuit in Christo. Fuit tunc tempus destinatum passioni, vbi λόγ& quieuit. Et humana natura in CHRISTO verè sensit mœstitiam, metum, dolores, & quò maior fuit lucta cum ira Dei, eò magis expertus est Christus, infirmitatem carnis non posse sustinere magnitudinem iræ diuinæ contra peccatum, nisi Deo sustentante. Sic igitur respondeo ad maiorem. Etiam sancti cùm sciunt felicem euentum ærumnarum & periculorum huius vitæ fore: tamen quia circumferunt infirmitatem carnis, intuentes in præsentia obiecta, seu molem præsentium ærumnarum sentientes, vehementer sæpe anguntur animo, & ægrè sese erigunt vt si vulneratus sciat se restitutum iri sanitati pristinæ, & tamen propter cruciatus vulneris in præsentia doleat.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Nemo petit ab alio, quod in sua potestate habet,

Christus Iohannis decimo inquit: se habere in potestate sua, vt deponat animam suam, & rursus sumat eam.

Ergo frustrà instituit precationem ad Patrem, vt liberet ipsum ex morte,

RESPONSIO.

In enarra. Ioh. To. 3. ope. 835.

Discernenda sunt tempora in historia Christi. Hoc tempore passionis natura diuina in eo quieuit, vt loquitur Irenæus, & ipse verè sustinuit non modò naturalem mortis metum, & alios quosdam dolores, quòd præuidit gentis Iudaicæ interitum. Item quòd vidit magnam partem generis humani cumulare iram Dei, contemto

temto hoc tanto beneficio, scilicet sacrificio Filij Dei, sed etiam alium longè maiorem & inenarrabilem dolorem, quòd videlicet sensit iram Dei aduersus peccata generis humani, quæ in ipsum effundebatur. Sic quasi ipse sese polluisset, meis, tuis, Dauidis, & omnium electorum peccatis, iacuit coram Deo, sentiens iram aduersus peccata.

Hæc etiamsi sunt inenarrabilia: tamen significata sunt aliquantulum, cùm dicitur: Christum factum esse maledictum. Item, Posuit Deus in eo iniquitates omnium nostrum. Ne putemus hæc fuisse simulata: Veri & ingentes dolores fuerunt, quos sustinuit, vt ante dixi, quiescente diuina natura: & obediente æterno Patri, & in hoc ipso sacrificio Christus fit Pontifex Ecclesiæ vniuersæ electorum. Tota Ecclesia sustinet ingentes dolores, sed summus sacerdos Christus sustinet maiores, & inchoat precationẽ, vt & reliqua Ecclesia inuocet & exaudiatur. Hæc descripta sunt & in epistola ad Hebr. Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitati nostræ, sed tentatum per omnia secundum similitudinem sine peccato. Quoties igitur nostras precationes incipimus, cogitemus hunc summum sacerdotem Filium Dei, stantem coram æterno Patrè, verè affici nostro dolore, gemere nobiscum, vt Pater φιλόσοφ& gemit cum liberis magna calamitate oppressis, & nostras preces perferre ad æternum Patrem. Hæc certè inter precandum cogitanda sunt, &c.

INsigne testimonium est in dicto Iohan. 10. quod affirmat in Christo duas naturas esse. Cùm enim inquit: Nemo aufert à me animam, fatetur se habere naturam humanam, cui competit mortalitas. Ac descriptio est mortis spontaneæ. Quasi dicat: Etsi moriar pro

hominibus, tamen volens id faciam. Nullius enim creaturæ potentia, vi mihi animam eripere posset. Postea de diuinitate Christi dicitur, quæ non moritur, sed humanam naturam ex morte in vitam reuocat. Habeo facultatē ponendæ animæ, & rursus sumendæ. Cum hoc insigni dicto non pugnat precatio Christi ante agonem, in qua petit, vt Pater ipsum adiuuet in passione & liberet. Etsi enim verè est in ipso natura diuina, quæ est omnipotens, tamen & antea sæpe ardenter Christus ad Patrem precatus est: & nunc instante postremo agone ardentissimas preces fundit, vt monstret discrimen inter se tanquam Personam missam & Patrem mittentem. Deinde vt significet aliud tempus esse humiliationis, aliud glorificationis. Denique vt ostendat non tantum sacrificio, sed etiam ardenti precatione sua, se esse pontificem vniuersæ Ecclesiæ electorum: & exemplo suo excitet nos ad precandum, & nos de exauditione confirmet.

1.
2.
3.
4.

ARGVMENTVM V.

¶ Magis fortis minus dolet.
In Christo est summa virtutum perfectio.
Ergo Christus in aditu mortis minus debebat dolere, quàm multi alij viri & puellæ, qui constanter mortem adijsse leguntur.

RESPONDEO.

In enarra. Ioh. To. 3. op. 848.

Cum homines profani legunt historiam de pauoribus Christi, mirantur cur tanta mœstitia in viro forti extiterit, cùm Socrates, imò interdum etiam puellæ, vt Herculis filia apud Euripidem, dicantur maiori animi tranquillitate mortem adijsse & sustinuisse. Sed Ecclesia cogitare debet causas & discrimen mortis Christi &

sti & aliorum hominum. Commune est hoc omnibus hominibus, cùm mens præuidet mortem, vt anima & cor expauescant cruciatus & mortem. Quia natura vniuersaliter fugit destructionem sui, ac seruari & incolumis manere cupit. Sic & Socrates & Cicero valde dolent. Quanquam enim aliqua moderatione regunt gestus externos: tamen inclusus est in animo & in corde dolor, qui nullius oratione satis describi potest. Et in hac naturæ depravatione non solùm naturalis quædam est in Cicerone fuga mortis, sed etiam accedunt vitiosi affectus: succenset Deo, miratur, cur hac præstans natura tantis malis onerata sit, ægrè amittit vitæ voluptates. Ita in alijs alij accedunt inordinati motus. At in Christo, etsi est naturalis fuga mortis & dolor, tamen hac non sunt inordinata. Postea verò sunt dolores horrendi, quorum magnitudinem nec homines nec Angeli vlli possunt eloqui. Scit Christus Deum verè & horribiliter irasci peccatis, & hanc iram in se deriuatam esse. Iacet igitur prostratus coram Deo, dolens se reum esse, ac si contaminasset se horribili turpitudine, qua turpissimi cultores idolorum, homicidæ, polluti libidinibus toto orbe terrarum se contaminarunt. Pro his peccatis nostris deprecator est, & luctatur cum ira Dei, vt semper partem iræ deprecator in se deriuat, qui videtur malos subleuare, & minus irasci turpitudini, quàm deberet. Sicut Ioab vituperatur patrocinans Absoloni. Sed hic dolor & lucta Filij Dei longè superat omnium Angelorum & hominum cogitationes omnes. Accesserunt & aliæ causæ tristissimi luctus, quòd videlicet vidit suam gentem interituram esse. Item, quòd vidit maximam partem generis humani ingratam fore pro hoc beneficio. Tantæ multitudinis æternum interitum eti-

am vidit, & ingenti mœstitia deplorauit. Hæc consideremus, cùm pauores Christi legimus, & singuli nostra peccata sciamus in Christum translata esse, & auxisse eius dolores. Cogitemus etiam nullam creaturam posse sustinere magnitudinem iræ Dei. Tulit igitur Filius Dei pœnam ne cæteri ferrent. Quòd igitur in multis sanctis maior alacritas cernitur, ideò fit, quia causæ præcipuæ doloris in eis non sunt tales vt in Christo. Beati quorum tecta sunt peccata, inquit Psalmus. Est igitur alacrior Laurentius, quia cùm ira Dei deriuata sit in Christum, Laurentio parcitur, ne eam cernat. Christus luctatus est, & fuit λύτρον, vt nobis parcatur: quare Psalmus dicit: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

IN hoc argumento respondendum est primùm ad Maiorem: Magis fortis minus dolet: Item, Is qui in passione minus dolet est fortior. Verum est cæteris paribus, quando causæ & obiecta dolorum sunt æqualia. Deinde in collatione dolorum, quos sustinuerunt multi martyres, & quos Christus sustinuit luctans in horto & in cruce, considerandum est & passiones esse diuersas, & causas passionum esse dissimiles. Stephanus & Laurentius patiuntur tantum corporum cruciatus, & percutiuntur ab hominibus, sed intus in anima sentiunt in media morte præsentiam Dei, consolationem Dei & initium æternæ vitæ. At Christus summos cruciatus perfert in corpore & anima, & à Deo ipso percutitur, idq; ideo, vt credentibus in ipsum parcatur. Non igitur tam ipso mortis conspectu horret Christus, quàm alijs causis longè grauioribus, ex quarum numero præcipua est sensus iræ Dei & maledictio legis.

ARGV-

ARGVMENTVM VI.

¶ Fugere mortem, quàm Deus iubet ferre, est peccatum,
In Christo est trepidatio fugiens mortem.
Ergo in Christo non est integra obedientia sine peccato,

RESPONSIO.

In Christo etiamsi fuerunt trepidationes: tamen non fuerunt vitiosæ. Quia non fuerunt similes nostris, inordinatæ, in quibus fremunt voluntates aduersus Deum, sed fuerunt gemitus naturæ oneratæ supra vires cùm tamen voluntas retineret obedientiam sine indignatione aduersus Deum.

In enarra. 12. cap. in Iohan. Tom. 3. oper. 779.

NAturaliter omnes res creatæ à Deo fugiunt sui destructionem. Quæ fuga mortis simpliciter & per se non est vitiosa. Sed accedunt in hominibus multa peccata per accidens: quia homines cùm non reguntur verbo Dei & Spiritu sancto, aut spe fruendarum qualiumcunque voluptatum appetunt longius vitæ spacium: aut non sine fremitu & indignatione aliqua contra Deum, potenti morti obtemperant. At in Christo fuit fuga mortis prorsus naturalis, & sine ἀταξία. Sic igitur ad Maiorem respondendum est: Fugiens mortem scilicet inordinatè, seu cum impatientia & indignatione, peccat. Deinde ad Minorem: Etsi in lucta Christi est quædam trepidatio: quia vniuersaliter natura supra vires onerata gemit: tamen dissimilis est hæc trepidatio seu hic gemitus in Christo & in cæteris hominibus: Christus fert terrores, sine indignatione contra Patrem, & agnoscit esse obediendum Patri, & constanter retinet hoc propositum obtemperandi Deo.

ARGVMENTVM VII.

¶ Non obtemperare Deo omnibus viribus est peccatum, cùm scriptum sit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde & ex omnibus viribus tuis.

Christus non obtemperat Deo omnibus viribus, quia testatur se velle & cupere, vt à se se auferatur calix.

Ergo fuit in Christo peccatum, cùm tantopere fugit ac reformidat mortem.

RESPONSIO.

In enarra. Ioh. To. 3. op. 772.

Similis est hac obiectio priori, & vt responsio ad vtranque sit illustrior, cogitanda est doctrina de potentijs animæ, quomodo discernantur, & quid cuique sit proprium. Diuersi sunt gradus dolorum. Infimus gradus est appetitionum naturalium, vt famis & sitis: Et doloris, qui tactum comitatur, vt cùm dolor lacerationem corporis seu neruorum sequitur. Hæc fuisse in Christo, & non esse vitiosa constat, quia sunt res sic condita à Deo. Natura neruorum est, cùm lacerantur, cruciatum efficere, neque hic cruciatus est rebellio contra mentem, quia est res sic creata. Quare facilè intelligi potest non esse vitiosam, Secundus gradus est affectuum, qui in corde ex metu illius laceratiouis & mortis oriuntur. Hic quoque metus naturalis est. Sic in Christo est & trepidatio cordis fugientis mortem & laceratiouem. Et corrapit aliqua ex parte secum voluntatem, sed eluctantur cor & voluntas, vt se subijciant voluntati Dei, vt in cæteris viris fortibus, in Daniele aut Ieremia, est metus mortis in corde, & hic rapit secum

cum voluntatem: Etsi Spiritu sancto confirmantur voluntas & cor, vt superent metum, & placide adeant mortem. Quia dilectio Dei accendit eos, vt obedire ei velint.

Hic quæritur, cùm cor & voluntas aliqua ex parte dissideant à iudicio mentis, an hoc dissidium in Christo, & in cæteris hominibus sit vitiosum. Respondeo: Sicut dolor ex laceratione ortus, verè naturalis est, & non est vitiosus: Ita metus quidam illius laceratiouis est naturalis. Metuit & refugit Christus, sed ordinatè, non vt nos inordinatè. Nam ordinatè natura supra vires onerata gemit, nec frangitur sine aliquo sensu doloris. Et tamen in hoc ipso gemitu mens retinet suum iudicium, quòd Deo sit obediendum, & voluntas Deum diligens vincit trepidationem suam & cordis, & vult Deo obedire, & hac voluntate placidè sustinet mortem. Non est igitur vitiosa hæc trepidatio, quia est naturalis & ordinata, non vt in nobis, inordinata, fugiens mollicie & amore voluptatum, & cum dubitationibus de Deo aut fremitu aduersus Deum. Sed tertius gradus est dolorum seu consternationum, quæ sunt longè supra naturales illos dolores & causas naturales, videlicet sensus iræ Dei aduersus peccatum.

Agnoscit Christus, Deum horribiliter irasci generi humano, propter peccatum, & hanc iram effundi nunc in se tanquam victimam: dolet Deum offensum esse à genere humano, & luctatur cum tentatione de abiectione. Hic summus gradus est horrenda & inenarrabilis consternatio voluntatis, quæ totius naturæ vires velut incendium absumit, vt dicit Moses: Deus ignis consumens est. Et Ezechias: Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. De hac difficilior est quæstio. Sed idem de ea

respondendum est, vt supra. Etsi longè maior est hæc consternatio in Christo, quàm in Dauide, Esaia, Ieremia, Ezechia, & similibus: Nam Christus pro nobis tulit iram & iudicium Dei: tamen dissimilis est in Christo & in cæteris: nam in omnibus alijs cum fuga existit fremitus aduersus iudicium Dei, & in his qui non eluctantur confugientes ad victoriam Christi, videlicet in damnatis, sequuntur horrendæ blasphemiæ. At Christus fert terrores sine indignatione aduersus Patrem: ideo hæc trepidatio est sine peccato, & non est vitiosa.

Hæc non curiositatis causa recitaui, sed vt cogitantes de passione Christi, non tantùm corporis lacerationes consideremus, sed sciamus in anima etiam ingentes & inenarrabiles mœstitias fuisse, & simul discamus magnum quiddam esse iram Dei aduersus peccata generis humani, & mirandam esse in Filio Dei humilitatem, qui se sic abiecit, vt in sese deriuarit iram Dei, quasi ipse pollutus fuisset nostris sordibus. Quæ oratio Angelorum aut hominum explicare potest, quanta fuerit hæc humilitas & abiectio sui? Vtinam etiam ex aliqua parte cogitemus de amore Christi erga nos, cùm se adeo abiecerit, propter nos, necesse est immensum amorem esse. Hunc intuentes confugiamus ad ipsum, petamus & expectemus auxilium & salutem, gratitudinem etiam nostra obedientia declaremus. Hæc omnia cogitanda sunt quoties de Christi doloribus dicitur.

IN Minore discernenda est fuga mortis vitiosa qualis est in hominibus repugnantibus Deo, vel ex quadam mollicie, vel ex impatientia, à lucta Christi. Non enim repugnat Christus inordinatè, sed petit liberationem in hoc tanto agone, sic vt subijciat se voluntati diuinæ, & sine indignatione ac fremitu sustineat ac patiatur illa, quæ sunt humanæ naturæ propria. Hoc vt intelligi possit, declaratio sumitur ex diuersis gradibus appetitionum, quæ sunt in homine naturaliter: Infimus gradus est appetitionum cibi & potus, videlicet famis & sitis. Deinde alius est gradus, qui comitatur sensum, & est proprius neruorum, vt dolorum in laceratione corporis. Tertius est affectuum cordis, vt mœstitiæ, metus, iræ. Quartus gradus est voluntatis, quæ est propria hominis, vt cùm voluntas auersatur ea, quæ sunt mala aut noxia. Hi gradus omnes in Christo patiente conspiciuntur. Sed sunt ordinati omnes, & sine peccato, nec ruunt extra legem Dei. Sitio, inquit, quod primi gradus est. Secundi gradus sunt dolores in laceratione corporis: quia nerui ordine naturæ sentiebant cruciatus. Præterea & cor ordine naturæ sine peccato plenum erat mœstitia, qua fugiebat destructionem. Hi dolores neruorum & cordis aliquo modo ad animam quoque penetrant, sicut dicit: Non quod ego volo. Nec sunt peccata, sed tantùm cruciatus patientis Christi, sicut ipsa mors. Et concurrebant ad neruorum & cordis sensum alij dolores in Christo qui animum ferebant: sensus iræ Dei aduersus peccata generis humani iuxta dictum: Iniquitates eorum ipse portabat. Interea tamen voluntas humana in anima Christi retinet firmitatem propositi, & se ad obedientiam offert: Non vt ego volo, sed vt tu vis. Ita manet harmonia & congruentia cum Deo.

ARGVMENTVM VIII.

¶ Voluntas congruens cum diuina, est bona.

Iudæorum voluntas congruit cum diuina, quia mortem Filij Deus volebat, & interfici Christum volebant Iudæi.

Ergo voluntas Iudæorum est bona.

RESPONSIO.

In Dial. Ph. de modis soluẽdi vitiosa argumenta lib. 4,

Neganda est Minor, quia ducitur argumentum ex non sufficientibus causis. Nam Maior ita demum verè est, cùm voluntas nostra congruit cum voluntate diuina iuxta omnes causas. Falsa est igitur Minor, quia Iudæorum voluntas nequaquam secundum omnes causas congruit cum voluntate diuina. Differunt enim in immensum impulsiuæ, formales & finales causæ, quæ faciunt discrimina actionum in infinitum. In Iudæis impulsiua causa est, ardens odium aduersus Doctorem, taxantem scelera & prauas opiniones. Formale, quod volunt in ipsa passione, est ipse cruciatus & laceratio, quam vellent esse æternam. Finales causæ sunt, vt ita tollatur hic Doctor, ne reuiuiscat, & vt confirmetur licentia scelerum. Sed impulsiua mouens Deum, est immensa misericordia erga genus humanum, & ipsa Filij intercessio, qui se obtulit ad pœnam pro nobis luendam. Formale, quod vult Deus in passione, non est principaliter cruciatus, sed obedientia Filij. Finales causæ sunt, vt ira placata per hanc obedientiam, satis fiat iustitiæ Dei, & vt Filius ipse reuiuiscat, & regnet in æterna consuetudine cum æterno Patre, & ibi reddat hæreditati suæ vitam & salutem æternam. Constat igitur nequaquam congruere causas in Deo & Iudæi, etiamsi in idem obiectum incurrunt: vt chirurgus & latro in idem obiectum incurrunt, & vterque aliquid secat, sed dissimili modo & dissimilibus causis.

FAllacia est à non causa vt causa, Etsi enim voluntas Iudæorum congruebat cum voluntate diuina respectu vnius & eiusdem obiecti, perinde vt Latro & Chirurgus idem corpus secant: tamen impulsiua, formalis, & finales causæ faciunt discrimen infinitum

tum inter voluntatem Dei volẽtis Christum crucifigi, & inter Iudæorum voluntatem. Estque regula tenenda: Discrimina actionum sumenda esse non tantum ab obiectis externis, sed multò magis à causis interioribus in mente & voluntate.

ARGVMENTVM IX.

¶ Non est fugienda confessio, cum interrogamur de doctrina, iuxta dictum, 1. Pet. 3. Estote semper parati ad respondendum cuilibet, petenti rationem eius spei quæ in vobis est.

Non igitur rectè subterfugit confessionem Christus in historia passionis, cùm interrogatus à summo Pontifice de discipulis & de doctrina, non directè respondere voluit.

RESPONSIO.

Cùm de doctrina interrogat Christum summus Sacerdos, taxatur à Christo, Iohan. 18. & remittitur ad auditores: Cur, inquit, me interrogas? Interroga eos qui me audierunt. Hæc verba non sunt tergiuersantis, aut defugientes confessionem, sed seruat discrimen Christus inter manifestorum criminum condemnationem, & inquisitionem non manifestorum. De manifestis non interrogandum est, quid fateatur reus, aut non fateatur. Sed crimen disertè obijciendum est, & vera testium autoritate confirmandum: præsertim de doctrina expressè ostendatur, quam sententiam impiam sparserit aliquis. Contrà verò in inquisitione arcanorum

In enarra. Ioh. To. 3. ope. 852.

primùm præcedat fraterna admonitio, si suspicio præbuit occasionem. Deinde fiat inquisitio, si confirmantur suspiciones. Nec dubium est hunc ipsum ordinem fori vsitatum fuisse in Synagoga, quia & Christus hanc formam sequitur. Matth. 18. Iustè igitur Christus reprehendit Pontificem, quòd in causa manifesta non seruet ordinem: Aut si nondum manifesta est causa, non fuit iustum capere reum armata cohorte.

FAllacia est à non causa vt causa. Non defugit Christus confessionem hoc dicto. Quia vt cæteri Euangelistæ narrant, interrogatus ab eodem Pontifice, an sit Messias, & an sit Filius Dei, planè respondet, & vtrunque perspicuè affirmat, se & Messiam & Filium Dei esse. Hic verò ordinem iudicij vult intelligi, & discernit causarum manifestarum condemnationem ab inquisitione arcanarum, in qua fraternam admonitionem præcedere necesse est. Hunc legitimum ordinem iudicij conqueritur Christus violari atque peruerti à Pontifice, & hanc tyrannidem ipsius grauiter reprehendit & accusat, inquiens: Ego palàm locutus sum in mundo, & semper docui in Synagoga & in templo, quo Iudæi vndique conueniunt, & in occulco locutus sum nihil. Quid me igitur interrogas? Interroga eos qui audierunt quid sim ipsis locutus. Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego.

ARGVMENTVM X.

¶ Christus ipse præcipit Matth. 5. Si quis percusserit te in dextram maxillam, obuerte ei & alteram.

At in passione expostulat Christus & litigat cum seruo, à quo accepit colaphos,

Sic enim inquit: Si malè locutus sum, testare

stare de malo: Sin bene, cur me cædis? Repugnat igitur hæc postulatio ipsius Christi præcepto.

RESPONSIO.

Vtrumque præceptum est, causam veram, præsertim doctrinæ, confessione perspicua defendere, & simul animo paratum esse ad violentiam perferendam. Ita hoc loco Christus affirmat, se rectè respondisse, aut si non rectè respondi, inquit, ostende causam: tu verò iniustam in me sæuitiam exerces. Hoc exemplum meminisse prodest. Non est tolerantia, tacere, & aduersarij falsam & iniustam causam silentio confirmare: Imò, præsertim doctrinæ confessionem oportet perspicuam esse, vt scriptum est: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre cælesti. Deinde vbi de causis dixisti, quantum dici necesse est, mens sit parata ad tolerandas corporis lacerationes, quæcunque impendent: vt hic, Christus sustinet varias contumelias & cruciatus: Nec dictum illud: Si quis percusserit te in dextram genam, intelligatur superstitiosè de silentio, aut ipso gestu obuertendi alteram maxillam. Quia Petrus inquit: Patientes vbi opus est, id est, cùm hostium furor in nos irruit, cor præstet tolerantiam, qua quid sit, alias sæpe dicitur: Nos non iubeamus hostes in nos sæuire. Hanc regulam in multis vitæ negotijs scire & sequi vtile est. Si famam tuam ladit aliquis, non necesse est te tacere, sed modestè excuses te, & refutes aduersarium. Si ille non cedit refutatus, nec defendunt te Iudices vt debebant, Christus suo dicto & exemplo consolatur te, vt scias cur tolerantia præstanda sit, & quomodo placeat Deo.

In enarra. Ioh. To. 3. op. 834.

IGnoratio est Elenchi. Non enim expostulatio Christi cum seruulo percussore, præcepto ipsius Matt. 5. de tolerantia repugnat. Nam neque veritas silentio obruenda est, nec dissimulatione nostra furor impiorum confirmandus est. Et tamen paratus esse animus debet ad perferenda odia potentum, & ad subeunda varia certamina & supplicia propter veritatis confessionem. Hinc perspicuum est: vt humilitas & appetitio gloriæ, virtutes cognatæ sunt, & inter eadem extrema versantur: sic confessionem veritatis quoque non pugnare cum tolerantia.

ARGVMENTVM XI.

¶ Christus resurrexit ex morte die tertia. Non igitur respondit euentus prædictioni, quam Christus ipse sonat Matt. 12. Sicut fuit Ionas in ventre ceti, triebus diebus, & tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

RESPONSIO.

In enarra. Matt. To. 3 op 486. & 587.

Articulus in Symbolo dicit: Tertia die resurrexit à mortuis. Quæritur igitur an triduo fuerit in sepulchro. Breuiter respondendum est: Christus tribus diebus fuit in sepulchro: Sic, vt vnus dies sit integer, scilicet Sabbatum, & pars diei prioris, & pars diei tertiæ. Quia Iudæi sic numerant dies à vespera.

Fuit autem Christus positus in sepulchrum die quo crucifixus est, ante vesperam. A vespera ad vesperam sequentis diei fuit Sabbatum. Rursus à vespera ad matutinum tempus post Sabbatum, pars est tertij diei. Est autem

autem singulari consilio Dei factum, quòd toto Sabbato voluit esse in sepulchro. Ibi requieuit Deus. Hæc quies est inenarrabilis. Sed tota passio, mors, & ista quies est facta propter nos, vt Christus patiens & moriens, verè esset victima pro nobis. Ipse tulit tunc iram Dei, ne iram nos absorberet. Ita tulit mortem, ne mors nos absorberet. Ideo statim postea resurrexit ex morte, & ostendit se victorem esse mortis, et reddere nobis iustitiam & vitam æternam. Consolemur igitur nos in nostra morte, intuentes in hunc Dominum iacentem in sepulchro, & postea resurgentem. Discamus videre vitam in hoc spectaculo mortis. Imò in omnibus tribulationibus nostris, discamus cum ipso Filio Dei hoc Sabbatum seruare, quiescamus in ipso Deo, sciamus ei obediendum esse in arumnis, & tamen expectandam liberationem per hunc ipsum Dominum, qui tunc in sepulchro quieuit. Hæc experientia, in qua exercentur fides & spes, docebit nos, vt aliquo modo arcanam doctrinam de Sabbato & quiete Filij Dei intelligamus.

Ibid. 581. Item in Ioha. cap. 5. & 20. Tom. 3. o-per. 669. & 867.

QVoties de resurrectione Filij DEI, Domini Iesu Christi, dicitur, qui post mortem die tertia diuina potentia resuscitatus reuixit, integrè restituta in ipso natura humana, & exuta mortalitate: vsitatum est quæri de triduo, quo CHRISTVS in sepulchro fuit. Sed respondeo breuiter, Synecdochen esse, hoc est, etsi non sint integri singuli dies huius tridui, tamen parte aliqua singulorum iacuit corpus in sepulchro. Depositum est enim à cruce post horam nonam κατὰ ἰκλὼ, quæ nobis est tertia pomeridiana. Parte igitur aliqua diei sextæ corpus fuit in sepulchro. Deinde sequens dies spacium est à vespera ad vesperam, & hic dies integer est. Voluit enim haud dubiè propter singularem significationem integro Sabbato quiescere. Tertius dies inchoatur vespere post meridiem Sab-

bati, fuitque corpus in sepulchro eo vespere, & nocte & auroræ tempore, quæ noctem illam secuta est, ita & bona pars tertij diei etiam comprehenditur. Hæc breuis accommodatio sufficiat. Non enim audiendi sunt homines leues, qui cauillationes acerbas de tridui cōputatione comminiscuntur. Etsi autem Sabbatum seu quies Filij Dei in sepulchro, cum Pater quiescere eum toto illo die tanquam desertum permisit, res est inenarrabilis: tamen vt Filius ante glorificationem, seu ante Sabbati futuri honorem, prius in morte quieuit. Ita Sabbati honorem cogitemus totam Ecclesiam inchoare à simili quiete, seu cessatione, id est, à morte, in qua etsi deserti videmur, tamen certo resuscitabimur ad honorem æterni Sabbati. Harum rerum magnitudo, non satis declarari verbis potest, sed pia meditatione cogitanda est, vt in cruce discamus hoc esse initium Sabbati.

DE SPIRITV SANCTO.

ARGVMENTVM I.

¶ Agitatio est motus creatus.
Spiritus significat agitationem,
Ergo Spiritus est motus creatus. Et per consequens, non est Persona seu ὑφισάμενον.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. oper. 226.

Vocabulum Spiritus in genere significat non tantùm agitationem sed etiam naturam seu vim agitantem. Et obseruanda est varietas in ipsis scriptis Prophetici

tiis & Apostolicis, nec temere omnia dicta miscenda sunt in quibus reperitur vocabulum Spiritus. Sæpe significat ventos, sæpe vitam hominis, sæpe motus seu impetus hominum creatos, tum bonos tum malos: hic significat essentiam spiritualem, id est, viuam, intelligentem, incorpoream, efficacem. Deus est Spiritus. Estque hoc loco nomen commune Patri & alijs Personis. Delectus igitur adhibendus est in testimonijs colligendis, ac prudenter iudicandum, vbi propriè loquatur scriptura de Spiritu sancto, qui est Persona seu ὑφισάμενον, sanctificans corda audientia vocem Euangelij: & cùm sic sumitur vocabulum Spiritus, confirmandum est, Spiritum sanctum esse Personam seu ὑφισάμενον. Nam multi impij & audaces homines in diſsidijs Ecclesiasticis contenderunt, Spiritum sanctum non esse ὑφισάμενον, sed tantùm agitationem creatam, aut certè ipsum Patrem potentem, seu agitantem sine alia persona, Sed huic impio sophismati, Ecclesia vera opponit testimonia in Scripturis tradita, quorum primum & maximè illustre est reuelatio diuinitatis facta in baptismo Christi, vbi clarè discernuntur tres Personæ: Pater inquit: Hic est Filius meus dilectus, hunc audite. Est igitur alia Persona Patris, alia Filij. Descendit autem Spiritus sanctus in specie columba. Iam si Spiritus sanctus esset agitatio in animis creata, non appareret peculiari specie corporali, aut si esset ipse Pater, non discerneret Spiritum sanctum. Inquit enim: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem. Sic in Pentecoste apparet Spiritus sanctus peculiari specie corporali. Hæ patefactiones non sunt frustra factæ, sed testificantur Spiritum sanctum personam esse, & mitti ad sanctificandam & confirmandam Ecclesiam. Adhæc testi-

Et in loc. Theol. Tom. 1. oper. 197.

monia adiungatur dictum de Baptismo: Ego baptizo te in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, id est, hoc baptismo testor te recipi à vero Deo, quem super te inuoco Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Cùm autem ad Spiritum sanctum dirigatur inuocatio, sicut ad Patrem & Filium, necesse est eum esse ὑφιστάμενον, & non motum seu agitationem creatam in homine. Nam motus seu agitatio creata in homine, non est inuocanda. Ioh. 14. Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis. Cum ait: Alium, discernit à Patre & Filio hunc paracletum. Et Iohan. 15. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis qui à Patre procedit. Ego, inquit, mittam à Patre. Non est ergo hic missus Spiritus, ipse Pater agitans, quia Filius non mittit Patrem, nec est agitatio creata, quia hæc sunt nomina Personæ: Alius paracletus, qui docebit vos, & quæ audiet loquetur, 1. Corinth. 12. expresse discernit Paulus Spiritum sanctum à donis creatis: Omnia hæc efficit vnus & idem Spiritus, Et 2. Corinth. 3. Transformamur in eandem imaginem tanquam à Domini Spiritu. Vbi etiam effectorem discernit à luce creata.

ARgumentum est Macedonij, qui secutus partes Arij, etiam contra Spiritum sanctum blasphemiam sparsit. Ab eo Macedoniani & πνευματόμαχοι sunt appellati, contra quos in Synodo Constantinopolitana, quæ est secunda œcumenica, sub Theodosio Imperatore pia decreta facta sunt ab orthodoxis, quorum summa addita est Niceno Symbolo. In argumento est fallacia æquiuocationis: nam vocabulum Spiritus plures significationes habet, quarum varietas, si exempla considerentur, rectius intelligi poterit. Cùm Iohan. 3. dicitur. Spiritus vbi vult spirat, signifi-

significatur ventus, quia venti agitant aërem. Psalmo 104. Auferes Spiritum eorum & deficient, significatur voce Spiritus vita, quia vita est quædam agitatio. Interdum significatur motus seu impetus animorum, vt Psal. 76. Qui aufert Spiritum Principibus. In dicto Christi Iohan 4. significatur essentia Spiritualis: Deus est Spiritus, sicut & Psal. 104. Qui facis ministros tuos Spiritus, describitur natura Angelorum spiritualis. Sic & anima hominis sæpe nominatur Spiritus, vt Acto. 7. Domine Iesu suscipe spiritum meum. Et tamen discernenda est spiritualis essentia, infinita & æterna, qualis est in Deo, à spiritibus creatis & finitis, quales sunt Angeli & animæ hominum. Cùm autem Paulus inquit, 1. Cor. 12. Hæc omnia efficit vnus & idem Spiritus, & singulis distribuit, sicut ipse vult, significatur Persona Spiritus sancti. Hac varietate significationum considerata postea quærenda est confirmatio huius articuli fidei. quòd Spiritus sanctus sit Persona seu ὑφιστάμενον, quod negarunt πνευματόμαχοι, Argumenta confirmationis maximè sunt insignia. Primum sumitur ex patefactione in Baptismo Christi. Alterum ex visibili effusione Spiritus sancti in pentecoste. Tertium ex formula nostri baptismi, in qua Spiritui sancto tribuitur inuocatio, sicut Patri & Filio. Postremum ex dictis Christi in vltima concione: & Pauli Apostoli in multis epistolis, quibus manifestè discernitur Spiritus sanctus à Patre & Filio, & à motibus creatis. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

ARGVMENTVM II.

¶ Appellatio Spiritus est nomen commune toti essentiæ diuinæ,

Ergo non potest peculiariter tribui tertiæ Personæ diuinitatis.

RESPONSIO.

In enarra. Ioh. To. 3. op. 660.

Cùm appellatio Spiritus tribuitur communiter Deo, describitur ipsa essentia communis tribus Personis, & refutantur hi, qui Deo figuram humani corporis tribuerunt. Significatur enim hac appellatione, Deum esse spiritualem essentiam, sine mole corporea. Quod aliquo modo sic declarandum est. Cùm Deus nominatur Spiritus, intelligatur essentia quædam intelligens, ac volens, libera, sapiens, bona, iusta, fortis, vivificatrix, iudicans, &c. Hi effectus indicant & describunt naturam spiritualem, sicut mentem humanam, quæ est effigies Dei, vtcunque indicant nostra ratiocinatio, voluntas, electio libera, discrimen honestorum & turpium, seu virtutum & vitiorum, & motus seu affectus. Ita cogitatione vtcunque æstimanda est, natura Spiritus, non fingenda est moles corporis. Interea autem peculiariter etiam tertiæ Personæ diuinitatis rectè tribuitur nomen Spiritus, quod significat agitationem seu agitatorem. Quia vt Filius nominatur λόγος, quia est imago substantialis æterni Patris, nata cogitatione: Sic tertia Persona est amor substantialis & lætitia coæterna inter Patrem & Filium, procedens à voluntate Patris & Filij: Sicut in homine verbum & cogitationem sequuntur in voluntate & corde motus siue agitationes. Estque nobis sic patefacta Persona Spiritus sancti, quòd sit velut flamma immediatè tales motus accendens in corde, qualis ipse est, sicut dicitur ad Timotheum: Spiritus dilectionis, roboris & castificationis.

In exam. Theol. de vocab. Sp. Tom. 1. oper. 307. Item in præfat. li. de anima.

MEminit huius obiectionis Athanasius Dialogo 1. de Trinitate. Etiam Pater, inquit, Spiritus sanctus

sanctus est, sed Pater non est Spiritus Dei: quia essentia communis est Patri, Filio & Spiritui sancto. Est enim pariter immortalis, pariter incorruptibilis, pariter sancta, pariter bona. Sed qui Pater est, Filius non est, & qui Filius est non est Pater. Et qui Spiritus Dei sanctus est, non est Pater neque Filius. Hæc explicatio ostendit, nomen Spiritus, cùm de DEO prædicatur, interdum essentialiter, interdum personaliter vsurpari. Cùm enim de omnibus personis diuinitatis communiter dicitur, significatur essentia incorporea & efficax, quæ est communis Patri, Filio & Spiritui sancto. Cùm autem peculiariter tribuitur tertiæ Personæ diuinitatis, significatur personalis proprietas, qua hæc Persona discernitur à Patre & Filio. Declaratio sumitur ex natura hominis. Nam Spiritus vitales in homine nascuntur in corde, & verè sunt flammæ, quæ in omnium affectuum incendijs, in lætitia, dolore, amore, odio, ira & alijs sparguntur. Et cum motibus voluntatis non simulatis, hæ flammæ in corde congruunt. Ex hac vmbra vtcunque cogitamus, de nomine Spiritus sancti, & discimus ei hanc appellationem in diuinis literis tribui, quia sit agitator, & quasi flamma à voluntate Patris & Filij procedens, qua diuinitas immensa bonitate nos sibi copulat, & nos lætitia complet, sicut effundit mater Spiritus vitales osculans infantem, filium, aut filiam.

ARGVMENTVM III.

¶ Iohan. 7. Spiritus sanctus nondum erat, quia Christus nondum erat glorificatus.

Ergo aut persona Spiritus sancti non est æterna: aut in Ecclesia non fuit efficax ante resurrectionem & ascensionem Christi ad cœlos.

RESPONSIO.

In loc. Theol. de Spiritu S. Tom. 1. o. f. 137. b. In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. o per. 333.

Quid Spiritus sanctus fuerit, antequam Filium assumsit humanam naturam: perspicuè testatur Petrus, cùm inquit de Prophetis, Spiritus Christi in eis, prædicens Christum passurum esse. Hîc disertè vocatur Christi Spiritus, qui fuit in Prophetis. Eodem igitur Spiritu sancto & Patres & Apostoli, & pij deinceps, hoc est, omnes electi omnibus temporibus sanctificati sunt, idq; multò illustrius docent verba Esa. 59. Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Eundem Spiritum ait esse in Esaia & in tota Ecclesia ad omnem æternitatem. Non igitur tantùm post resurrectionem Christi effusus est in pectora sanctorum Spiritus sanctus, sed semper eodem Spiritu sancto omnes electi sanctificati sunt. Et Zach. 7. dicitur: verba quæ misit Dominus exercituum in Spiritu sancto per manum Prophetarum piorum: Ita & Esa. cap. 63. affirmat Spiritum sanctum fuisse ductorem & gubernatorem Mosis & populi in deserto: Quo dicto significat semper adesse Spiritum sanctum in Ecclesia Dei. Quin etiam veteres hoc dictum in Genesi intellexerunt de Spiritu sancto, qui est Persona diuinitatis: Et Spiritus Domini ferebatur super aquas. Sic enim ait Basilius: Siue quod verius est, & enarratum ab ijs, qui ante nos fuerunt, loquitur de Spiritu sancto Dei. Quia Scriptura hoc obseruat, vt cùm ait, Spiritus Dei intelligat Spiritum sanctum, qui est diuinæ trinitatis tertia Persona. Ac si hoc modo intelliges dictum Mosi, maiorem capies vtilitatem. Quomodo enim ferebatur super aquas? Narrabo tibi sermonem Syri cuiusdam, qui ait, vocem hic positam

positam significare idem quod fouere vt alis calore, sicut auis incubans, fouet oua. Hactenus Basilius. Quod autem obijcitur dictum Christi Iohan. 7. Spiritus sanctus nondum erat, quia Christus nondum erat glorificatus: Palàm est non hoc dici, quòd non extiterit Persona Spiritus sancti, aut quòd Spiritus sanctus non fuerit efficax in Ecclesia ante Christum glorificatum. Nam suprà in ipsa historia Euangelica Iohannis clarè recitata est admiranda reuelatio facta Baptistæ, qua manifestè discernuntur persona Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & constat inde vsque ab initio semper Ecclesiam regi & sanctificari Spiritu sancto. Quare necesse est intelligi hoc dictum de manifesta ostensione Spiritus sancti, seu de ministerio palàm & publicè promulgato per Spiritum sanctum, sicut præcedentia verba (Hæc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes) clarè significant, eum locutum esse de hoc publico ministerio, per quod Spiritus sanctus efficax est in credentibus. Est ergo sententia huius dicti: Nondum erat Spiritus sanctus, id est, nondum cœlesti ac manifesta reuelatione, seu ostensione Spiritus sancti promulgatum erat hoc ministerium, per quod datur Spiritus sanctus, sicut post resurrectionem Christi manifesta specie sese ostendit Spiritus sanctus. In enarra. Ioh. To. 3. op. 697.

Dictum Iohannis non loquitur de Persona Spiritus sancti, de qua certum est ex narratione Mosi, quòd sit Persona æterna. Disertè enim dicit: Spiritus Domini ferebatur super aquas, vt significet Spiritum sanctum simul creasse omnia cum Patre & Filio. Est autem creare proprium naturæ æternæ & omnipotentis. Nam ante mundi initia nihil fuit, nisi Deus ipse. Quare cum ante creaturas fuerit Spiritus sanctus, & ipse sit creator, necesse est

Personam diuinam & omnipotentem & æternam esse. Deinde idem dictum Iohannis non loquitur de dono aut efficacia Spiritus sancti, quia omnes electi inde vsque ab initio conditi generis humani, sanctificati sunt eodem Spiritu, iuxta dictum Pauli: Qui Spiritum Christi non habet, non est eius. Item, Prophetiæ omnes habuerunt autorem Spiritum sanctum, vt Petrus inquit: Sancti Dei homines locuti sunt inspirante Spiritu sancto. Omnia etiam miracula Prophetarum facta sunt per Spiritum sanctum. Non igitur donum Spiritus sancti ignotum fuit veteri Ecclesiæ. Intelligendum est autem dictum Iohannis de ministerio noui Testamenti, per quod datur Spiritus sanctus, quod nondum tum publicè promulgatum erat. Nam in textu Iohannis opponuntur ministeria veteris & noui Testamenti: Et quia Iohannes mox addit: de Spiritu, quem accepturi erant credentes, satis clare ostendit, se loqui de visibili & solenni effusione Spiritus sancti, qualis facta est initio noui Testamenti ad confirmationem ministerij Euangelij, quod propagandum erat per Apostolos in toto orbe terrarum. Nam postquam exhibitus est Messias, necesse fuit diuinitus edi publicum testimonium, vt constaret hunc Messiam esse Filium Dei, & totum genus humanum huic ministerio spargendo in omnes gentes assentiri debere. Id factum est misso Spiritu sancto manifesta specie & miraculis post Christi resurrectionem, cum assumtus est in cœlum, quibus simul Deus testatus est, regnum Messiæ non esse corporale, nec esse doctrinam legis aut politiam Iudaici populi, vt tunc Iudæi imaginabantur: Sed esse ministerium de beneficijs Filij Dei, dantis Spiritum sanctum, & inchoantis nouam & æternam iustitiam & vitam in credentibus. Sciamus igitur verba illa: Nondum erat Spiritus sanctus: restringenda esse ad visibilem exhibitionem Spiritus sancti, seu ad speciem illam manifestam, qua postea se ostendit, post glorificationem Christi resuscitati. Et pertinebat visibilis illa exhibitio ad pro-

promulgationem veri ministerij propagandi in omnes gentes.

ARGVMENTVM IIII.

¶ Actor. 19. Ephesij interrogati an Spiritum sanctum accepissent, respondent: imò nec audiuimus num sit Spiritus sanctus.

Ergo doctrina de Spiritu sancto ignota fuit in Ecclesia ante prædicationem Euangelij factam per Apostolos.

RESPONSIO.

Apparet vsitatè Spiritus sancti appellationem initiò in Ecclesia simpliciter esse vsurpatam, pro manifesta ostensione seu testimonio exhibiti Spiritus sancti. Sicut fiebat initio Ecclesiæ, vbi primùm spargebatur Euangelium ab Apostolis. Hoc modo loquuntur discipuli in Actis, se ne quidem audiuisse quòd sit Spiritus sanctus. In enarra. Ioh. To. 3. ope. 698.

FAllacia est Amphilogiæ, vt in priori argumento. Non dicitur hîc de ipsa Spiritus sancti essentia, neque de donis Spiritus sancti, quæ communia sunt omnibus saluandis in Ecclesia omnium temporum, sed de visibili effusione Spiritus sancti, & de visibilibus illis donis, quæ tunc initio nascentis Ecclesiæ vigebant. Quia mox eodem cap. Acto. 19. additur: cum imposuisset eis manus Paulus, venit Spiritus sanctus in eos & loquebantur linguis & prophetabant. Et sic Acto. 10. in historia Cornelij dicitur: Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus sanctus in omnes, qui audiebant verbum, Et obstupuerunt fideles qui ex circum-

cisione erant, qui venerant cum Petro: quòd etiam in gentes effusum esset donum Spiritus sancti. Audiebant enim eos loquentes linguis & magnificantes Deum, &c.

ARGVMENTVM V.

¶ Sicut Filij Dei generatio: sic & processio Spiritus sancti est ἄῤῥητον seu inexplicabilis.

Frustrà igitur discrimen quæritur inter nasci & procedere, seu inter generationem Filij, & processionem Spiritus sancti.

RESPONSIO.

In enarra. Ioh. To. 3. ope. 818. & 819.

Etsi articulus de essentia Dei, & de tribus Personis, æterno Patre & Filio & Spiritu sancto, imperuestigabilis est, & homines profani, vt Samosatenus, Iudæi, Mahometistæ & alij innumerabiles clamant absurdas opiniones esse, quòd profitetur Ecclesia, Filium natum esse ex substantia Patris æterni, coæternum, ὁμοούσιον, & Spiritum sanctum ab vtroque procedere: Tamen quia Deus claris & certis testimonijs ipse sese sic patefecit, ac voluit discerni Patrem, Filium & Spiritum sanctum, necesse est nos hanc doctrinam amplecti, & reuerenter assentiri: etiamsi diabolorum & hominum sapientia fremens, absurditate offenditur. Sed cur, inquies, proponit nobis Deus articulos, quorum verba etiamsi vtcunque imitamur, tamen rerum nullas imagines cogitare possumus? Audio Filium dici λόγον, sed qualis est ille λόγος, cùm sit Persona? Audio discrimen esse inter nasci & procedere, agnosco diuersa verba, sed rem

rem propius videre cuperem. Excruciant hæ quæstiones humanam mentem. Sed quanquam modus esse harum descriptionum & cogitationum debet: tamen sciamus Dei voluntatem esse, vt sic agnoscatur diuinitas. Sciamus ergo non negligendam esse, nec silentio obruendam doctrinam de tribus Personis, sed reuerenter eam cogitemus & recitemus, & tantum de ea quæramus, quantum Deus patefecit. Patefecit autem ea, quæ in inuocatione exerceri voluit. Quoties inuocamus, vult nos Filium intueri, & propter eum petere remissionẽ peccatorũ: vult item peti, vt gubernemur Spiritu sancto. Hæc discrimina semper in inuocatione incurrant in mentem & in oculos.

Deinde piè cogitemus, quomodo Patrem, æternum Filium, & Spiritum sanctum doctrina Euangelij discernat. At notum est hæc discrimina tradi. Pater ab æterno intuens sese, gignit Filium, qui est imago æterni Patris. Filius est genitus, & est imago æterni Patris. Spiritus sanctus procedit à Patre æterno & à Filio. Hic iam quæritur, quid interest inter nasci & procedere? aut quid omnino significat illud procedere? Hæc ita declarantur docendi causa. Si hominum natura incorrupta esset, consideratio eius magis nos erudijsset de Deo. Sed sumamus tamen aliquo modo exempla ab hominum natura. Duæ sunt proprietates animæ, facultas intelligens, & facultas volens. Intelligens gignit imagines cogitando. Volens habet impetus, sicut cor gignit spiritus, sentit amorem, lætitiam et alios affectus. Ab his exẽplis sumitur declaratio. Cùm Filius vocetur λόγος, gignitur cogitando. Est autem cogitatio imago rei cogitatæ, λόγος igitur dicitur Filius, quia Filius est imago Patris. At Spiritus sanctus dicitur procedere, quia

voluntatis est amor. Intuens igitur Pater Filium, vult & amat eum, ac vicissim Filius intuens Patrem, vult & amat eum. Hoc mutuo amore, qui propriè est voluntatum, procedit Spiritus sanctus, qui est agitator, ab æterno Patre & Filio coæterna imagine Patris. Sicut igitur intelligenti facultati tribuitur gignere: Sic à voluntate dicimus processionem. Quia voluntas est sedes amoris & agitationis, de quibus vt aliquam qualemcunque vmbram cogitemus, nos ipsos intueamur. Agnoscamus cogitatione gigni imagines, voluntatem verò aut cor habere impetus, & amorem. In nobis non transfunditur essentia in imagines vllas, aut in vllum amorem seu impetum: etsi natura nostra vehementer cum amore seu lætitia rapitur, & quasi in amatum obiectum migrat. Sed æterni Patris imago, quæ est Filius, est ex substantia æterni Patris, & Spiritui sancto communicatur essentia Patris & Filij.

RECTÈ inquit Athanasius dial. 1. de Trinit. Quomodo gignat Filium Deus, & quomodo Spiritum emittat, curiosè non perquæstigo. Sed credo Filium genitum inexplicabili modo, & absque perpessione vlla. Et similiter Spiritum sanctum procedere inexplicabili modo, & absque perpessione vlla. Cùm autem scriptura ipsa cum quodam discrimine vtatur his vocabulis Nasci & procedere: & Nasci quidem Filio attribuat: Procedere Spiritui sancto: & discrimen inter Filium & Spiritum sanctum necessario in Ecclesia retineri oporteat: nequaquam negligenda est hæc vocum declaratio: quæ vtcunque sumitur ab imagine Dei in homine. Nasci igitur est à potentia cognoscente, quia genitum est imago gignentis:

tis: Et vt in hominibus potentia cognoscens format imagines & loquitur: Sic Filius est æterni Patris imago cogitatione genita, & est λόγος ostendens eum in reuelatione Euangelij: Vt autem generatio propria est intellectionis, quia pingit imagines intellectio: Sic procedere est à voluntate, quia spiratio est voluntatis aut cordis. Vt igitur voluntas in homine aut cor non pingit imagines, sicut pars cognoscens, sed habet impetus, aut motus, aut flatus, quibus attrahit aut pellit obiectum, amat quasi attrahens, odit quasi pellens: sicà voluntate æterna Patris & Filij, impetus seu flatus substantialis efficacissimus est, qui est de ipsa Patris & Filij essentia. Hic flatus non dicitur genitus, sed procedens, quia est substantialis amor & lætitia inter Patrem & Filium, & non solùm impertit creaturis omnibus agitationem & vigorem, sed est motor seu agitator in renouatione hominis, in qua fiunt motus obedientes Deo, agnitio Dei & iustitia.

ARGVMENTVM VI.

¶ Non expressè traditum est in sacris literis, quòd Spiritus sanctus procedat à Filio.

Ergo reijcienda est forma verborum, qua dicitur Spiritum sanctum procedere simul à Patre & Filio.

RESPONSIO.

Græcæ Ecclesiæ recentiores, dicuntur mouisse certamen, an Spiritus sanctus procedat à Patre & Filio, id est, an sit ex essentia Patris & Filij, & contenderunt, Sp. S. à Patre procedere, id est, ex Patris essentia esse, ac per

In enarra. Ioh. ca. 15. & 16. To. 3 oper. 819. & 829.

Filium tanquam canalem mitti, nec esse ex essentia Filij. De hac quæstione statuamus, vt latinæ Ecclesiæ sentiunt: Spiritum sanctum ab æterno Patre & Filio coæterno procedere, id est, esse ex essentia æterni Patris & Filij: Sicut Christus expressè inquit Ioh. 16. Ille me glorificabit, quia ex meo accipiet. Et Ioh. 15. ait: Ego mittam. Non tantùm ait, Per me mittetur, vt per canalem. Est igitur Spiritus sanctus aliquid essentiæ Filij. seu etiã Filio est ὁμούσιος. Hæc probatio satis firma est piæ menti, quæ non quærit cauillationes ad labefactandum textum. Et huc congruit illud, quod Christus ipse Ioh. 20. afflat Spiritum sanctum Apostolis. Hic flatus non à solo Patre, sed etiam à Filio procedit. Additur autem & confirmatio Iohan. 16. Omnia quæ Pater habet, mea sunt. Hæc vox æquans Filium Patri, testatur Filium natura Deum esse, & Patri esse ὁμούσιον. Hinc sequitur, & ab vtroque procedere Spiritum sanctum. Nec volo prolixius de his arcanis disputare, quæ reuerenter cogitanda sunt, nec immorandũ est speculationi, sed magnitudo amoris diuini consideranda est, quòd Deus effundit in corda nostra Spiritum suum, cuius est essentia diuina, & efficit nos socios naturæ diuinæ, vt Petrus inquit: Hoc tantum beneficium agnoscamus, & grati prædicemus, & vicissim nos Deo subijciamus, vt ostendamus nos verè Deo gratos esse, & verè oremus, vt Spiritus sanctus accendat in nobis hanc gratitudinem.

PLerunque Græci scriptores Ecclesiastici ita de Spiritu sancto loquuntur, vt sicut Filius à Patre gignitur: sic Spiritum sanctum ex Patre dicant procedere. Ac narrat Lombard. lib. 1. dist. 11. Leonem 3. Romæ post altare D. Pauli, pro amore & cautela, vt ipse loquitur, fidei orthodoxæ, posuisse tabulam argente

am

am, in quam verba Symboli, quemadmodum in duabus Synodis œcumenicis antiquissimis, Nicena & Constantinopolitana, editum sit, insculpi curauerit, vbi de Spiritu sancto more Græcorum, processio Spiritus sancti referatur ad Patrem tantùm: His quidem verbis: Et in Spiritum sanctum Dominum & viuificantem, qui ex Patre procedit, & cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, &c. Sed addiderunt postea Latini, mentionem Filij hoc modo: Qui ex Patre Filioque procedit. Fatetur autem Lombardus non tam in rebus quàm in verbis dissentire in hoc articulo Latinos à Græcis. Nam Græci, formam sermonis retinent, qua Christus vtitur Iohan. 15. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, &c. Interea tamen fatentur Græci scriptores veteres, Spiritum sanctum Patri & Filio ὁμούσιον esse. Nam Epiphan. contra Pneumatomachos disertè inquit: Spiritus verè est ex DEO, & non alienus à Patre & Filio: sed ὁμούσιος Patri & Filio. Idem Latini volunt, cùm dicunt Spiritum sanctum procedere seu esse ex Patre & Filio. Etsi enim Iohan. 16. processio Spiritus sancti ad Patrem tantùm referri videtur: tamen id nequaquam exclusiuè Latini intelligendum esse putant, sed ideo Christum sic loqui iudicant, Quia ad Patrem solet referre etiam quod suum est, propterea quòd Pater fons & principium est diuinitatis. Citat autem ad confirmandam hanc sententiam (quòd Spiritus sanctus à Patre & Filio procedat, seu esse suum habeat) Lombardus ipse non modò Scripturæ dicta, in quibus Spiritus sanctus nominatur tum Spiritus Dei & patris, tum Spiritus Filij & Christi: Sed etiam Athanasij Symbolum, in quo dicitur Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Hinc intelligi potest, disputationem de processione Spiritus sancti potius λογομαχίαν esse, quàm certamen de re ipsa, cùm vtrique Græci & Latini fateantur, Spiritum sanctum esse ex Patre & Filio: & vtrique

concedent Spiritum sanctum esse Spiritum Patris & Filij. Porrò recentiores Græci in Synodo Basilienſi alias quaſdam imaginationes habuiſſe videntur: Cùm diſputarunt. An Spiritus ſanctus ſit de eſſentia Filij, vtrum verò à Patre mittatur per Filium tanquam canalem. Hæ imaginationes refutantur his dictis: Miſit Deus Spiritum Filij ſui in corda noſtra. Item, Quem ego mittam vobis à Patre. Item, Quem Pater mittet in nomine meo. Item, Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.

ARGVMENTVM VII.

¶ 1 Iohan. 2. de Chriſto dicitur: Si quis peccauit, habemus παράκλητον ſeu aduocatum apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum.

Pugnat igitur hoc dictum cum dictis Chriſti, qui Spiritum ſanctum nominat Paracletum, Iohan. 14. Rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. Item. Ioh. 15. Cùm venerit Paracletus, Spiritus veritatis, &c.

RESPONSIO.

In enarra. 8. cap. ad Rom. To. 4. ope. 153.

Conſiderandum eſt, quo diſcrimine Chriſtus dicatur interpellator pro nobis, & quomodo Spiritus ſanctus ſit interpellator. Eſt igitur Chriſtus interpellator, quia eſt redemtor, & ſuo merito placat iram æterni Patris. Sed Spiritus ſanctus eſt Interpellator, in quantum nos mouet ad inuocationem, iuxta dictum: Accepiſtis Spiritum, quo clamamus Abba Pater. Item, Zach. 12. Effundam Spiritum gratiæ & precum. Filius eſt

eſt interpellator, quia eſt Redemtor, qui perſoluit precium, vt ſatisfieret iuſtitiæ Dei, & placaretur ira Dei. Sed Spiritus ſanctus interpellat poſt placatam iram per Filium, ſic vt accendat in nobis inuocationem. Eſt enim Spiritus gratiæ & precum, id eſt, Spiritus teſtificans in conſolatione per Euangelium, quòd Deus nos recipiat, & ſit nobis propitius, & accẽdens nos ad inuocationem, & latificans corda acquieſcentia in Deo.

CHriſtus nominatur Paracletus reſpectu interceſſionis & applicationis ſuæ obedientiæ pro nobis apud Patrem. Nam ad Mediatoris officium pertinet eſſe interceſſorem applicantem meritum ſuum. At Spiritus ſanctus eſt Paracletus effectiuè in nobis. Datur enim Spiritus ſanctus vt ſit aduocatus, iuuans nos conſilio & conſolatione, mouens & confirmans nos, vt confirmat Apoſtolos contra authoritatem Synagogæ, & contra ſæuitiam tyrannorum. Item nobis ſingulis eſt παράκλητος, in omnibus noſtris periculis, regit nos conſilio, & confirmat nos, & exuſcitat nos ad inuocationem. Ideo Paulus Rom. 8, inquit: Spiritus opitulatur infirmitati noſtræ. Et quidem addit: Interpellare eum pro nobis gemitu ineffabili. Sic autem interpellat, ſcilicet mouendo & impellendo ad inuocationem. De Chriſto autem perſoluente ἀντίλυτρον, & deprecante pro nobis apud Patrem, ſcriptũ eſt: Ego ſanctifico me pro eis. Item, Ego pro illis oro, nec pro illis tantùm, ſed pro omnibus credituris per verbum eorum.

ARGVMENTVM VIII.

¶ Non ſunt confundenda diſcrimina perſonarum diuinitatis.

Filius Dei eſt doctor Eccleſiæ.

Ergo non rectè Spiritui sancto tribuitur, quòd doceat Ecclesiam.

RESPONSIO.

In enarra. Sym. Nic. Tom. 2. o-per. 332. & 343. Item 331.

Docent Filius & Spiritus sanctus. Sed cùm Christus inquit, Iohan. 16. Cùm venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit loquetur, &c. Hoc ipso dicto discrimen ostendit. Filij proprietas est proferre Euangelium ex sinu aterni Patris, & cum voce externa notitiam accendere in mente, sicut inquit Mat. 11. Nemo nouit Filium, nisi cui Filius volet reuelare. Simul autem per Filium datur Spiritus sanctus, qui est flamma seu agitator, mouens cor vt assentiatur, & confirmans ac lætificans. Loquitur ergo quæ à Filio audit. Non discedit à verbo per Filium prolato: Sed ad hoc ipsum verbum traditum trahit corda, & confirmat assensum, & dat firmitatem in docendo, in confessione, in consilijs, in omnibus bonis actionibus. Docet ergo, quia ad assensum trahit cor, & in assensu & affectu doctrina intelligitur.

NOn pugnant hæ propositiones inter sese. Filius docet, & Spiritus sanctus docet. Nec fit confusio officij seu beneficiorum externorum Filij & Spiritus sancti. Quia diuerso respectu Filius & Spiritus sanctus dicuntur doctores Ecclesiæ. Filius est Persona ab initio missa ast Ecclesiam, vt promissionem gratiæ ex sinu æterni Patris proferat. Hic alloquitur Ecclesiam perpetuò, seruat ministerium Euangelij, & ostendit Patrem voce doctrinæ, vt fulgeat in credentibus notitia præsentiæ Dei & dilectionis erga nos & misericordiæ: Sicut de hoc proprio officio loquitur Filius Nemo

Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui volet Filius reuelare. Cúmque per vocem Euangelij Filius docet mentes, & lucet ipse in mentibus, sicut Iohannis 1. dicitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: Simul Pater & Filius spirant Spiritum sanctum, qui corda mouet, vt luce Filij seu verbo lætentur, assentiantur & confirmentur, & viuificentur, inuocent Deum, diligant eum, & se subijciant ei, denique vt motus tales accendantur qualis est ipse. Ita Filius est doctor, quia primùm & immediatè profert doctrinam Euangelij, & per verbum vocale verè dicit consolationem in corde, & ostendit Patrem. Spiritus sanctus verò nominatur doctor, quia trahit voluntatem & cor ad hoc ipsum verbum, quod Filius tradidit, & confirmat mentes, vt lux doctrinæ à Filio accensa certius & illustrius intelligatur & accipiatur, & incitat corda ad agnitionem & inuocationem Dei, & ad confessionem & omnes actiones Deo placentes.

ARGVMENTVM IX.

¶ Actiones diuinitatis ad extra sunt indiuisæ.

Viuificatio & sanctificatio Ecclesiæ sunt actiones diuinitatis ad extra.

Ergo communiter tribui debent Patri, Filio & Spiritui sancto.

RESPONSIO.

In 2 lib. Epist. Ph. pag 126. Item in enarr. Sym. Nic. Tom. 2. ope. 288.

Fuit negligentia valde vituperanda Scriptorum, qui non tradunt, quæ sit propria actio in mentibus humanis, τῦ λόγυ καὶ τῦ πνεύματος. Vsitate dicunt de tribus personis Scriptores, quia Spiritus sanctus habitat in cordibus, simul sunt ceteræ personæ, quia personæ

diuelli non possunt. Hoc non satis est dictum. Non enim discernuntur personæ, nec ordo actionum traditur. Augustinus 4. de Trinitate inquit: Quotidie mitti Filium in corda sanctorum. Et ait: Aliter mittitur vt sit homo, aliter vt sit cum homine. Athanasius expressè dicit: Quandocunque dicitur in aliquo esse Spiritus, intelligitur in eo esse verbum dans Spiritum. Quo ordine? Sic sentio: Per Verbum vocale. Verè Filius dicit verbum in corde: & ita ostendit Patrem, & simul tunc perfunditur cor Spiritu sancto, qui est causa lætitiæ in Deo. Hæc in experientia intelligi possunt. Et ad hanc sententiam multa Veterum dicta congruunt. Et sic Nazianzenus inquit: ἐκ φωτὸς πατρὸς καταλαμβάνομεν φῶς τὸν υἱὸν ἐν φωτὶ ἁγίῳ πνεύματι. *Nihil hæc ad Baltici oratoris contentiones, quia aliud est quærere de actionibus in homine, aliud de acceptatione. Nos confidere debemus obedientiæ Filij Dei, quam Patri præstitit, & hanc anteferre actionibus in nobis.*

DE Maiore propositione supra aliquoties hæc restrictio tradita est, videlicet, opera Trinitatis externa esse communia, seruato ordine & discrimine personarum. Etsi igitur viuificatio & sanctificatio Ecclesiæ fiunt per omnes personas, tamen quo ordine fiant, & quomodo simul sint tres Personæ, piè considerandum est, λόγος dicit consolationem, & ostendit hanc esse voluntatem Patris, vt simus recepti, & lucet in mente, vt assentiamur. Et Pater per Filium dat Spiritum sanctum, vt scriptum est, Dans dona hominibus. Et Actor. 2 Promissionem Spiritus sancti accipiens à Patre. Dicit igitur Athanasius: In quocunque homine est Spiritus sanctus, in eo est per Filium: & quia prius agnosci oportet Mediatorem, quòd propter ipsius obedientiam recipiamur, & quia cum verbo vocali Filius est efficax, & dat Spiritum sanctum. Et Paulus inquit ad Galatas: vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Et Ephes. 3. Vt habitet Christus per fidem in cordibus vestris, id est, λόγος adsit in vobis, ostendat voluntatem Patris, & sit efficax, dato Spiritu sancto, qui nos transformat ad imaginem Dei, sicut de transformatione dicitur 2. Corin. 3. Fiunt autem hæc illustriora, consideratis exemplis. Adam in prima consolatione sensit sese ex morte liberari. Hæc viuificatio quomodo fit? Auribus accipit foris vocem promissionis: cum hac voce simul Filius Dei est efficax, dicit consolationem, ostendit hanc esse voluntatem Dei, vt Adam habeat remissionem, viuificat eum, & confirmat assensionem, ac effundit Spiritum sanctum in cor Adæ, qui cùm sit lætitia, iam lætatur Adam in Deo rectè agnito, seu agnita misericordia, & accenduntur motus tales, qualis est ipse Spiritus sanctus, iuxta dictum: Dabo legem meam in corda eorum.

Eodem modo de Dauide & de omnibus, qui verè conuertuntur ad Deum, cogitandum est. Dauid auribus accipit hanc vocem: Dominus abstulit peccatum tuum: Cum hac voce simul Filius Dei λόγος in mente Dauidis est efficax, dicit consolationem, & ostendit hanc esse voluntatem Dei, vt Dauid habeat remissionem peccatorum, & iam sit reconciliatus: & viuificat eum, ac confirmat assensionem, & simul effundit Spiritum sanctum in cor Dauidis, quo lætatur Dauid in Deo, agnita iam eius misericordia, sicut inquit: Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

ARGVMENTVM X.

¶ Dilectio Dei est ipse Spiritus sanctus substantialiter, sicut dicitur 1. Ioh. 4. Deus est dilectio.

Ergo non est ponenda dilectio Dei creata in homine.

RESPONSIO.

In epist ad Rom. to. 4. op. 116. Item in Ioh. c. 15. Tom. 3. opc. 819.

Sæpe hæ quæstiones mouentur: An dilectio sit ipse Spiritus sanctus substantialiter, & nulla sit ponenda dilectio Dei creata in homine. Item, An notitia quæ est fides, sit ipse Filius Dei, Verbum, & nulla sit ponenda notitia promissionis creata in homine. Hæ quæstiones & olim motæ sunt, & nunc ab Osiandro renouantur: vt si quis imaginetur, hominem iustum nihil in seipso mutatum esse, sed tantùm esse domicilium habitantis ibi Patris, Filij, & Spiritus sancti, vt cùm in dolium infunditur aqua, nulla fit dolij mutatio. De his quæstionibus respondendum est proposito exemplo primæ conuersionis. Cùm Adam audiret Deum loquentem, simul foris audit promissionem vocalem, quam sonat Filius, & ille idem Filius Dei in corde hominis tunc adest, & facit, vt luceat illustris notitia & assensio in mente, in qua notitia intelligit Adam se à Deo recipi, & agnoscit æterni Patris voluntatem, & simul effundit Filius Spiritum sanctum in cor Adæ, quo sentit Adam vitam & lætitiam. Hîc in mente non tantùm est Filius, sed etiam creata notitia & assensio, qua Adam intelligit verbum & credit, & in corde non tantùm est increatus Spiritus sanctus, sed etiam lætitia accensa per Spiritum sanctum, quia Verbum & Spiritus sanctus non sunt ibi, vt in dolio aqua, sed homo renascitur, & habet accensam notitiam creatam, & motus seu affectus à Spiritu sancto creatos, sicut ad Galatas dicitur, Fructus Spiritus est dilectio, gaudiũ, pax, fides, &c. 2. Cor. 3. dicitur: Nos retecta facie gloriam Domini intuentes, in eandem imaginem transformamur à gloria in gloriã, tanquam à Spiritu Domini. Ratio secura non cernit iram Dei aduersus peccata, non cernit præsentiam Dei in consolatione,

latione, seu lætitiam in Deo. Sed in vera conuersione sentit homo iram Dei, & lætitiam in Deo. Ibi retecta facie cernit gloriam Dei, id est, cernit in verbo iudicium & misericordiam Dei, & verbo lucente in mente transformantur mens & cor in similem gloriam, id est, habent iam notitias & motus congruentes cum verbo, & hæc fiunt, cùm audito verbo Spiritus Dei accendit nouos motus in nobis. Non diceret Paulus: Nos in eandem imaginem transformari, si tantùm ibi esset diuinitas, & nulla creata notitia vel dilectio. Item Rom. 8. Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro: Ergo & nos habemus notitias & affectus congruentes cum Spiritu sancto in vera consolatione.

Quanquam autem notitiæ, pauores, lætitiæ, excitantur in nobis, tamen discrimen inter causam & effectus tenendum est, vt 1. Ioha. 3. dicitur: Erimus ei similes. Fit igitur & in nobis mutatio, & quomodo fiat, in vera conuersione, in doloribus & consolatione discimus. Hanc simplicem & veram sententiã teneamus, & non turbemur præstigijs sophismatum, quæ opponuntur.

PRolixa est de hac quæstione disputatio apud Magistrum sententiarum, lib. 1. dist. 17. Disputat enim, an sit effectus aliquis dilectio in corde accensa, qui non sit ipsa Persona Spiritus sancti. Idem quæritur: cùm aliqui disputant, vtrum Persona Filij Dei & Spiritus sancti adsit in cordibus renascentium. An verò in mente & corde tantum dona accendantur, vt lux in mente, & in voluntate & corde fiducia & dilectio Dei: Sed rectè respondetur: Vtrunq; verum esse, quòd adsit in cordibus renatorum Spiritus sanctus, & quòd dilectio sit effectus seu qualitas accensa in corde per Spiritum sanctum, assentiente & obtemperante voluntate. Quod enim Persona Spiritus sancti adsit

in cordibus renascentium, testatur dictum in Ioele: Effundam de meo Spiritu super omnem carnem. Et ad Rom. 8. dicitur: Si quidem Spiritus Dei habitat in vobis. Hæc de Persona dicuntur. Quòd autem in ipsa mente, voluntate & corde etiam dona accendantur, & quòd hæc sint effectus seu qualitates, vt in scholis vocant, clarè loquuntur hæc dicta & similia. Gal. 5. Fructus Spiritus est dilectio, gaudium, pax, fides, bonitas, continentia, &c. Hæc prodest considerari, vt multæ quæstiones faciliùs diiudicentur & explicentur, de quibus ineruditè & frigidè in commentarijs Longobardi disputatur.

ARGVMENTVM XI.

¶ Fortitudo, item castitas est motus excitatus à Spiritu sancto.

In Scipione & multis Ethnicis est fortitudo, castitas & aliæ virtutes.

Ergo Ethnici quoque fuerunt templa & domicilia Spiritus sancti.

RESPONSIO.

In enarra. lib. 1. Offic. Cic.

Etsi sunt quidam motus heroici in viris præstantibus etiam non renatis, & hi motus sunt dona Dei, quæ Deus naturæ attribuit, vt seruetur genus humanum: tamen quia abest vera agnitio Dei, non nominatur lux Filij Dei & flamma Spiritus sancti. Tantùm autem in his qui sunt renati, dicitur esse Spiritus sanctus, qui incitat corda, vt verbo Dei assentiantur, agnoscant Deum, & inuocent eum, & accendit motus bonos, sic vt mentes simul intueantur Deum. Differt igitur castitas Ioseph à castitate Scipionis. Quia in Ioseph non solùm præ-lucet fides accensa verbo Dei per Filium, sed etiam in ipsa castitate mens intuetur Deum, sentit se ab eo regi & confirmari, & ei obtemperat, et dirigit obedientiam ad gloriam veri Dei.

Maior

Maior propositio in hoc argumento est particularis. Non enim facienda est confusio graduum præsentiæ Dei in creaturis. Adest Spiritus sanctus, imò tota diuinitas in renatis non otiosè, sed vt veri è sanctificet corda, & excitet virtutes Deo placentes Hæc præsentia nominatur præsentia sanctificationis, qua credentes fiunt templa DEI & Spiritus sancti etiam in hac vita. In his igitur vera Dei agnitio & motus congruentes cum Lege Dei referuntur ad actionem Dei specialem: qui verò non sunt viua membra Ecclesiæ, ijs adest Deus præsentia vniuersali: & in his motus heroici & aliæ virtutes pertinent ad generalem Dei actionem. Infrà autem in loco de bonis operibus plura dicentur de discrimine virtutum in renatis & non renatis, quæ secundum diuersos gradus causarum differunt.

FINIS.